126

4

AD RELATIONEM prætenſorum Iurium D. DVCIS ODOARDI FARNESII

Reſponſio Iuris.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PROOEMIO.

MAnifestè patet, Auctorem Relationis pro Duce Odoardo euulgatæ malè informatum esse de his, super quibus scripsit, cum plurima in facto nõ subsistentia deduxerit, aliaque valdè vrgentia tacuerit, & signanter in Proœmio Epilogum facti alterati antepofuerit, vt ipsius Auctoris iactantiam in impugnando ritè, & rectè gesta per Sedis Apostolicę Ministros valeret sub mero figmento, ac imaginaria inuentione assertæ inimicitiæ Ducis cum Eminentissimis DD. Cardinalibus Barberinis, sed variato facto ius etiã variari oportet, & ex facto ius oritur, & cum eo moritur secundùm *Bald. cons. 251. col. 2. post med. lib. 5. & Ancar. cons. 254. num. 3. vers. quomodo autem.*

Opus non est, vt super prædictis particulariter insistam, cum in facti Responsione frumentum ab huiusmodi aristis distinctè, ac eruditè expurgatum fuerit. Adeout clarissimè ostendatur, quod exaduerso scribens melius fecisset, si calamo pepercisset, sicuti prudenter monendo alios Auctores manifesti contra Regẽ Hispaniarum malè instructos dixit *Alex. Raudensis cons. 1. num. 439. lib. 2.* Ad alia igitur me conuertam.

SVMMARIVM primæ Partis.

Distinguitur Responsio in quatuor Articulos num. 1.

IN primo Articulo ostenditur, Duci Odoardo non competere ius Tractarum ex Inuestiturarum verbis, in quibus de Tractis non fit explicita mentio num. 2. & seqq.

Et potissimum stante Constitutione Bonifacij Octaui expressè prohibentis Tractas extra Prouinciam Patrimonij num. 2. & 3. vbi auctoritatibus comprobatur.

Ratio adducitur, quod nempè ad Principem specialiter spectat frumentaria cura nu. 4.

Priuilegia publicam vtilitatem lædentia sunt improbata num. 5.

Obseruantia declarauit, prædictas Inuestituras non continere ius Tractarum num. 6.

IN secundo Articulo referuntur scripturæ, in quibus fit specialis mentio Tractarum num. 7.

Priuilegia Pauli Tertij sunt merè gratiosa num. 8.

Comprehenduntur sub reuocatorijs Pij IV. & aliorum Pontificum num. 9.

Quod etiam obseruantia docuit, dum pro parte Ducis petitæ, ac obtentæ fuerunt licentiæ, & Camera ita declarauit tẽpore Gregorij XIII. num. 10. & 11.

Breue Clementis Octaui non obstat stante defectu intentionis num. 12. & seqq.

Differt, Pontificem aliquid ad relationem aliorum declarasse ab eo, quod ex se disponat num. 13.

Sententia Principis ad relationem alterius non facit ius num. 14.

Clementi non fuit narratum gratiam Tractarum Eugenij Quarti fuisse temporalem, atque cassatam, & post gratiam Pauli III. Cameram fuisse in possessione prohibendi, & concedendi Tractas num. 15.

Breue prædictum continetur sub reuocatorijs supradictis num. 16. & 17.

Registratio dicti Breuis in Camera non releuat num. 18. & 50.

Dux Odoardus comprehenditur sub antedictis Constitutionibus reuocatorijs num. 19. & seqq. vbi respondetur contrarijs.

Pontifices reuocant gratias subreptitias extortas ab Antecessoribus num. 20.

Verba vniuersalia Constitutionum prædictarum comprehendunt Principes maiores num. 21. & 22.

Æqualiter minores, & maiores feudatarij subiacent Constitutionibus Domini directi num. 23. & seqq.

Altum dominium separari non potest à Coro-

PARS PRIMA

De extractione Frumenti.

QVatuor discutienda videntur. Primò an Duci competeret ius Tractarum vigore Inuestiturarum, in quibus explicitè non agitur de Tractis. Secundò an vigore assertarum concessionum, seu priuilegiorum, in quibus facta est specialis mentio Tractarum, ac de eorum reuocatione. Tertiò de potestate reuocandi. Quartò de validitate, & iustitia Edicti Eminentissimi D. Cardinalis Camerarij. 1

Circa primum prætenditur, ius Tractarum competijsse Duci in locis, de quibus agitur, ex amplis Inuestiturarum verbis etiam Regalia continentibus, licèt in eis habita non sit mentio Tractarum, sed cõtrarium verius est, stante Bonifacij VIII. Constitutione 13. Kal. Februarij 1299. explicitè prohibente extractionem Bladi, Annonæ, & Grasciæ extra terminos Prouinciæ Patrimonij (in qua Ducatus Castri existit) nisi exportaretur ad Curiam. Quæ Constitutio fuit postea semper obseruata, vt in Responsione facti deducitur ex pluribus bannimentis, & alijs actibus, quibus addi potest Bannimentum Cardinalis Armellini Medices Camerarij 4. idus Decẽbris 1523. impressum, & publicatum, vbi fit specialis mentio Oppidi Montis Alti, quod tunc ad Cameram Apostolicam pleno iure dominij, & possessionis spectabat, nec adhuc Farnesijs concessum erat. 2

Et

Digitized by Google

3 Et ideo Inuestiturarum verba etiã Regalia continentia interpretari debent, ne comprehendant Tractas speciali prohibitione vetitas, & in specie quod in huiusmodi Inuestituris non censeantur concessæ Tractæ, nisi de illis fiat expressa mentio aduerterunt *Mastrill. de Magistrat. lib. 5. cap. 9. num. 37. Horat. Montan. tract. de Regal. verbo portus nu. 3. post med. vers. & est ista de insolitis concedi*, subiungens, fuisse decisum in Camera Regia, quamuis Inuestitura esset amplissimis verbis concepta, & adducit *Regentem Moles in tract. manuscripto de iure exituræ, Marin. Freccia tract. de subfeud. lib. 1. offic. 3. num. 22. vers. et Regia Camera fol. mihi 28.* vbi quod in ea ita de stylo seruatur. Et in causa Ducis Amalphiæ decisum fuisse refert *Ioannes Dominicus Tassonus in pragm. de antefata vers. 3. obser. 3. num. 320.* quod is cui concessum est ius portulaniæ non potest cognoscere de extractionibus per mare, & pœnas extractionum seù exituræ exigere. Neque contradicit *Surgens* (tanquam in terminis exaduerso allegatus) *de Neap. Illustrata lib. 1. cap. 15 nu. 46. cum seq. et c. 24. num. 10. et 11.* quia explicat ibi formulam facultatũ Præfecto Prætorio antiquitùs dari solitam, quam ex Cassiodoro refert *in cap. 14. sub nu. 21. et seqq. ac nu. 26. vers. nec non prohibitiones*, eamque confert cum facultatibus Proregis. In vtraque autem expressè continetur potestas elargiendi, & curandi extractiones, ac super eis dispensandi. Et idem etiam explicat *cap. 24. num. 10. et 11.* referendo quasdam ordinationes Regias, ita ut nullo pacto debuisset in contrarium adduci.

Ratione vrgenti comprobatur prædi-
4 cta conclusio, quoniam ex præcipuis ad beneficium Principatus spectantibus est frumentaria cura, tàm denegando Extractiones propter abundantiam, dum vberes fructus non colliguntur, quàm etiam concedendo propter lucrum indè proueniens subditis, & ipsi Principi, quando tempore vbertatis, & pacis magna extat frugum copia, vt admonet *Mastril. d. lib. 5. c. 9. num. 38.*

Sed concessiones, & priuilegia publi- 5
cam vtilitatem lædentia sunt prohibita *in l. fin. C. si contra ius, vel vtil. publ. & melius in l. 2. C. de canon. frum. Vrbis Romæ lib. 11.* cuius verba sunt. *Si quid frumenti, vel hordei vrbicarij canonis remissione indultum est speciali beneficio cõtra commodum publicum rescripta elicita non valeant*, vbi *Bart. Platea, & Rebuff.* dicunt, ex dispositione illius legis tolli etiam priuilegia tàm præterita, quàm futura, & concessa cum derogatione obstantiũ legum. Vnde meritò in Inuestiturarũ verbis non comprehenditur ius Tractarum, cum ex eis lædatur publica vtilitas, nisi explicitè fuerit concessum, maximè quando (vt in hoc casu) aderat præcedens specialis prohibitio.

Confirmatur prædicta ex obseruantia 6
Cardinalis Camerarij successiuè semper prohibendi, & concedendi Tractas in locis, de quibus agitur, prout in facto plenè iustificatur. Recepta est autem conclusio, quod obseruantia est optima Interpres quarumcumque dispositionum, *Rota coram Card. Mantica decis. 296. num. 3. & coram Card. Seraph. decis. 507. num. 2. ac in Recen. decis. 419. num. 7. par. 1.* & in specie Inuestiturarum tenuerunt *Menoch. cons. 400. num. 12. Franc. Becc. cons. 101. nu. 48. Card Mantic. d. tit. 19 num. 42.*

Secundò discutiendæ sunt scripturæ,
in quibus specialiter concessæ dicuntur 7
Tractæ. Adducitur exaduerso Bulla Pauli Tertij occasione confirmationis Inuestituræ per Clericos Cameræ Apostolicę Petro Aloysio factæ de anno 1535. emanata, in qua tamen Inuestitura de Tractis nullum verbum, sed in dicta Bulla Paulus Tertius post confirmationem præfatam

tam

tam vsus est his verbis. *Et nihilominus dicti Eugenij Prædecessoris vestigijs inhærẽdo,* Volentes erga eũdem Petrũ Aloysium nos reddere gratiosos ei, suisq. hæredibus, & successoribus *præfatis frumẽta, & alia bona ex Montis Alti, & alijs suis Oppidis, Terris, & locis, quæ vt præfertur obtinet, eorumque Districtibus, et Territorijs liberè, et absque solutione alicuius vectigalis, et pedagij extrahendi, et ad loca quæcumque tàm per mare, quàm per terram conduci faciendi plenam per præsentes concedimus facultatem etc.* Successiuè adducitur alia Bulla eiusdẽ Pauli Tertij super erectione Ducatus Castri de anno 1537. in qua pariter expresè confirmantur Tractæ à dicto Ducatu Castri ad quæcumq ue loca S.R.E. etiam immediatè, vel mediatè subiecta, & Duci conceduntur quæcumque prærogatiuæ, iurisdictiones, & auctoritates, quibus alij Duc tuum Duces quantumcumque Magni, & Maximi, tam Pontificij, quàm Imperiales de iure, consuetudine, priuilegio, vel aliàs quomodolibet, & qualitercumque vtebantur, potiebantur, ac vti, potiri, gaudere, & exercere quomodolibet in futurum. Et demum exaduerso recensentur Breue, & Chirographum Clementis Octaui, quibus particulariter, ac distinctè respondetur.

8 Prima enim Bulla Pauli III. continet merum Priuilegium omninò gratuitum, vt patet ex verbis supra relatis, quæ vti nimis clara, & vrgentia contra Ducem studiosè fuerunt à Relatore omissa; Nàm vltra expressa in Inuestitura Cameræ Apostolicæ ab ipso confirmata per viam extensionis merè gratiosæ indulsit Tractas, profitendo, se inhærere vestigijs Eugenij Quarti, qui tamen ad triennium dumtaxat Petro Aloysio Tractam pro frumento Territorij Oppidi Montis Alti concesserat, & donec illi restitueretur per Cameram summa pecuniarum ei debita, prout tempore Nicolai V. immediati successoris Eugenij restituta, & totà concessio tàm pignoris, quàm Tractæ cassata fuit. Pariter subsequuta confimatio eiusdem Pauli III. de qua in dicta Erectione Ducatus ex mera gratia processit; Immo euidentissime læsiua fuit Cameræ Apostolicæ, quoniam præcedentes Inuestituras alterauit, & census, aliaque onera ratione dd. Inuestiturarum Cameræ Apostolicæ debita remisit, vt ex lectura eiusdem Bullæ Erectionis patet, & inferius nu. 42. cũ seq. latius demonstrabitur. Vndè merito tàm prima concessio, quàm confirmatio prædictæ comprehensæ fuerunt in Constitutione 99. Pij IV. in qua ob causam publicæ vtilitatis ibi expressam *reuocauit, et annullauit omnes licentias, omniaque priuilegia extrahẽ frumenta, et cuiusuis alterius generis blada per Prædecessores Pontifices datas, et data quibusuis personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, ac etiam Ducali, Marchionali, Comitali, aut alia seculari dignitate, et excellentia, necnon Cardinalatus honore fulgentibus sub quibusuis tenoribus, ac formis, et cum quibusuis clausulis, et decretis irritantibus etiam de necessitate exprimẽ, atque ex certa scientia, et potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet concessa, approbata, et innouata illorum singulorum veros tenores, ac si de verbo ad verbum insererẽtur pro sufficienter expresis habẽ. Necnon omnes Constitutiones, et Bannimenta de non extrahendo hactenus emanatas, et emanata mandauit obseruari.* Excepit tamen concesiones ex causa verè onerosa exbursationis pecuniarum concedendo super his specialem, ac omnimodam facultatem Cardinali Camerario. 9

Idemq. postea disposuere Pius V. Constit. 108. Greg. XIII. Cõst. 50. Clem. VIII. Const. 49. Paulus V. Const. 12. & S. D. N. Const. 8. Adeò vt de reuocatione dd. Priuilegiorum hæsitari non posit. 10

Concurrente præsertim subsequuta obser-

obseruantia, tàm in petendo, & obtinendo plures licentias per ipsos Duces, seù eorum Ministros ab ipso Pio IV. & alijs eius Successoribus, quæ licentiarum Impetrationes euidētissimá continent confessionem, & approbationem Ducum, quod Castri Ducatus comprehensus erat in præfatis Constitutionibus reuocatorijs Tractarum; licentia enim sui natura denotat facultatem gerendi actum ei, cui non licebat, & ex seipso gerere non poterat, vt per *Bald. cons. 290. ad fin. vers. attenta natura verborum lib. 3. Card. in Clem. fin. num. 9. q. 5. de elect.* benè *Rota in recent. decis. 144. num. 7. par. 1.* vbi explicitè inquit, quod licentia ostendit prohibitionem, quàm etiam rogando Pium V. vt restitueret Ius Tractarum aduersus reuocationem Pij IV. qui Pius V. gratiam concessit ad vitam Duci Octauij die 8. Iunij 1566. & Camera Apostolica tempore Greg. XIII. sub die 11. Octobris 1580. visis præfatis Pij IV. & V. Constitutionibus citato Procuratore Ducis Castri, decreuit ei non licuisse, nec licere extrahere frumentum à dicto Ducatu, & mandauit inhiberi, cuius decreti vigore Card. Cornelius Camerarius expediuit Inhibitionem, quæ personaliter præsentata fuit d. Procuratori, ac etiam V. Duci Castri, & postea successiuis temporibus pariter petitæ, ac obtentæ fuerunt à Duce, seù eius Ministris plures licentiæ extrahēdi, & signanter tempore Greg. præfati, & Sixti V. qui etiam aliam facultatem extrahendi Duci Alexandro petenti, & acceptanti quò ad vixerit concessit sub die 1. Iulij 1587. similemque facultatem petijt, & obtinuit ad vitam Dux Raynutius à Clem. VIII. sub die 3. Aprilis 1593.

11 Ex quibus maximè simul iunctis euidentissimè constat, Tractas à Paulo III. concessas comprehendi sub reuocationibus supradictarum Constitutionū Pij IV. & aliorum Pontificum supradictorum & comprehensionem verbis, & factis agnitam, & approbatam fuisse ab ipsis Castri Ducibus.

Huic conclusioni exaduerso opponitur 12
Breue Clement. VIII sub die 4. Decembris 1599. emanatum ad relationē Congregationis ab eo deputatæ, in quo declarauit dicto Raynutio Duci Castri extractionem competijsse, & competere.

Verùm faciliter euitatur, cum Clemēs 13
eius declarationem omninò fundauerit in Relatione prædicta, vt patet ex tenore Breuis, ibi, *qua Relatione sæpius intellecta, eique inhærentes Motu proprio etc. Declaramus etc.* non autem ex seipso huiusmodi causæ cognitionem adhibuerit. Aliud est autem, quod Papa aliquid simpliciter disponat, vel declaret. Aliud verò ad aliorum relationem, cui expresè profitetur inhærere, tunc enim apparet eū noluisse simpliciter, & absolutè actum facere, sed voluisse illum regulare à relatione sibi facta, siuè à causa expresa, quæ si detegatur erronea, patens est intentionis defectus, vt tradit *Gemin. cons. 53. num. 14. ad fin. et seq.* vbi dat simile de sententia Iudicis, quæ si non habet causam expressam sustineri potest ex quocumque capite, sed si exprimat causam, quæ sit iniusta, erit etiam iniusta sententia, licèt ex alia causa potuisset defendi, & *Geminianum sequuta est Rota in Tullen. Monasterij 19. Ianuarij 1609. coram Card. Sacrato,* vbi Summus Pontifex dederat coadiutorem Abbati non petenti ex causis, quas narrauit, se deprehendisse ex processu informatiuo sibi relato. Vndè Rota dixit, quod etiamsi essemus in casu, in quo de iure non est necessaria alia informatio, cum tamen Papa voluerit illam capi, & in concedenda gratia se restrinxerit ad causas, de quibus in informatione, coadiutoria ita demum sustinetur, si causæ expressæ veri-

Digitized by Google

ficentur ex processu informatiuo ex prædicta Geminiani doctrina, subiungens procedere, etiamsi gratia sit facta motu proprio, quia conclusio non est fundata in subreptione, vel obreptione, sed in defectu intentionis in concedente, qui defectus videtur resultare eo ipso, quod causa, ob quam motus fuit Princeps ad alterius relationem est erronea, idemque postea confirmatum fuit in eadem causa die 22. Maij eiusdem anni, & *decis. impressa est inter Recent. decis.* 224 *par.* 3. vbi quod huiusmodi Papæ dispositio in alterius relatione fundata non suffragatur, quādo (vt in hoc casu) constat de errore facti, & consequenter de circumuentione.

14 Siuè etiam consideretur, vt prætendit exaduerso scribens tanquam sententia à dicto Clem. VIII. lata, quæ tamen non est sententia, vt ex lectura patet, adhuc non refragatur, etenim non est dubium, maiorem vim habere gratiam Principis, vel priuilegium, quo casu ipse est, qui gratiam facit, & disponit, quàm habeat sententia lata per Principem ad relationē alterius, quo casu potuit faciliùs decipi, & ideo nec ius facit, & appellationem admittit, sicut aliæ sententiæ inferiorum Iudicum, proùt rectè distinguendo tenuerunt *Albert. Brun. inter cons. Purpurati cons.* 367. *n.* 3. *& Menoch. cons.* 501. *n.* 33.

15 Sed Clementi non fuit narratum, gratiam Tractarum ab Eugenio IV. concessam Raynutio Farnesio fuisse temporalem ad triennium, & postea cassatam à Nicolao V. & ad non esse reductam propter recuperationem Opdidi Montis Alti mediante solutione pecuniarum, pro qua pignus concessum fuerat dicto Raynutio; immò potius contrarium fuit assertum, dicendo, Eugenium plenè, & liberè concessisse. Nec etiam narratum fuit, post gratiam Pauli III. Cameram fuisse in possessione concedēdi Tractas petentibus ijsdem Ducibus Castri, Ministris Regum Gallorum, & Hispaniarum, & alijs frumenta ibi ementibus. Petens autem licentiam fatetur iure proprio non possidere, vt dixit *Rota coram Card. Mant. dec.* 267. *n.* 2. vbi de percipiēte fructus de licentia Capituli. Immò suppositum fuit cōtrarium, nēpè Ducem semper fuisse in possessione extrahendi, ideoque non potest euitari defectus intentionis ipsius Clementis, vt in specie Imperialis declarationis, & nouæ concessionis sub prætextu quod aliquis fuisset in possessione, quod si hæc possessio non fuit legitima, non attēdatur huiusmodi declaratio, aduertit in specie *Alex. Rauden. cōs.* 1. *n.* 427. *in fin. & num.* 428. *lib.* 2. Et de reuocatione non narrata, quod inducat subreptionem *Menoch. cons.* 350. *num.* 15. qui loquitur de confirmatione concessa à Petro Aloysio Duce Parmæ.

Ex his cessat quoque obiectum desumptum ab asserto Chirographo eiusdem Cleme. VIII. super Capitulis cum Camera Apostolica initis, cū Chirographum, & Capitula præfata emanauerit supposita validitate, & iustitia supradicti Breuis, quæ tamen non subsistunt, vt supra probatum est.

Cæterùm dato nunquā concesso, quod gratia prædicta Clem. VIII. cum indè sequutis sustineri potuisset, nihilominus reuocata remansisset per Cōstitutionem Pauli V. in ordine 12. §. 7. vbi reuocat *in locis ditionis Ecclesiæ mediatè, vel immediatè quomodolibet subiectis omnia priuilegia, & indulta Tractarum ex quacumque causa, etiam per contractum, nisi ex causa verè onerosa, videlicet congruæ solutionis, & exbursationis pecuniarum hactenus concessa, approbata, confirmata, & innouata* cùm clausula quorum tenores. 16

Nec non ex alia S. D. N. in ordine 28. §. 15. & 16. edita anno 1624. vbi amplissimè 17

simè derogatur *etiam quòad facultates cōfirmatas, restitutas, reintegratas, aut aliàs concessas, & inde etiam auctoritate Iudicis sequuta quaecumque,* & rursus §.19. reuocat *etiam alias approbatas, & registratas in Camera, praeterquam si approbatae essent ex causis verè onerosis, & legitimis,* & cum alijs clausulis, quae ampliores esse non possunt. Et signanter in §. 15. exprimuntur etiam Principes, & Duces ibi, *Necnon familijs nobilibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus, Domicellis, & quibusuis alijs personis quaecumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Cardinalatus, aliaque tàm saeculari, quàm Ecclesiastica Dignitate fulgentibus.*

18 Quod verò exaggeratur exaduerso, Sãctissimum D. N. tunc Clericum Camerae fuisse deputatum pro registratione dicti Breuis Clementis, omninò irreleuans est, attento notorio Camerae Apostolicae stylo in registrandis huiusmodi Breuibus, deputatur enim aliquis Clericus, qui in plena Camera summatim refert tenorem gratię, & ex tunc totum Tribunal mandat registrari in libris. Vndè apparet, hanc esse insinuationis speciem, & Clericus deputatus videt tantùm, An Breue sit in forma probanti, non autem adhibita cognitione an sit rectè, vel ex iustis causis concessum, actumque gerit vti repraesentans Collegium, non vti particularis, *vt per Ægid. decis. 10. num. 1.*

Sed quia exaduerso scribens adducit
19 aliquas rationes ad probandum, Ducem Odoardum non comprehendi in pręd ictis reuocationibus, ideo de medio sunt tollendae, antequam ad vlteriora procedatur. Et primò adducit prędictum Breue declarationis Clementis VIII. quã supra ostensum est, non subsistere, neque praeiudicare
20 re Camerae Apostolicae, nec est nouum, Pontifices Summos pro interesse Camerae Apostolicę reuidere gratias Antecessorum, quae praeiudiciales sunt Camerae, stante euidenti defectu intentionis; Neque hoc laedit Dignitatem S. Sedis, vt suadere praetendit exaduerso scribens, quia Innocentius Pontifex *in c. veniam caus. 35. quaest. 9.* dixit *maiorum meorum reuoluam sententias, quoniam subreptum huic Sedi, & elicitum per insidias demonstratur.*

Secundò adducit defectum voluntatis, 21
quia nempè habet feudatarios minores, quales sunt Barones Romani secundum *Farin. de furt. quaest. 273. num. 81. & seq.* & maiores, qualis est Dux Parmae, & prius erant Ferrariae, ac Vrbini arguendo, quod dum Pontifex loquitur de Statu mediato, intelligatur de minoribus, non de maioribus, vt dicit sensisse *Card. Seraph. in suo voto in Apostill. ad decis. 61. verbo mediatè post 2. vol. cons. Farin.*

Huic obiecto satisfaciunt verba praedi- 22
ctarum Constitutionum, nam illa Pij IV. in ordine 98 & aliae subsequentes reuocãt facultates huiusmodi. *Quibusuis personis cōcessis cuiuscumq; Dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existen. ac etiam Ducali, Marchionali, Comitali, aut alia saeculari dignitate, & excellētia, necnō Cardinalatus honore fulgētibus,* quę verba adeò vniuersalia sui natura comprehendunt etiam Principes maiores, vt dixerunt *Gomes. in proaem. regul. quaest. 4. §. & in eadem ratione vers. nam dicta clausula Gonzal. ad reg. Mensium glos. 38. num. 2. Rot. diuers. par. 3. decis. 795. nu. 1. in fin. lib. 3. & coram Greg. decis. 240. num. 4. & 5.* & cum dicta Bulla fuerit ad verbum ab alijs confirmata, non est dubitañ, quin comprehenderet Priuilegium Ducibus Castri concessum.

Vlterius distinctio exaduerso data inter 23
maiores, & minores Duces non potest applicari casui nostro, cũ dictę Cōstitutiones loquentes dè Ducali Dignitate, quam habēt, &c. tã maiores, quàm minores cōprehendant, & illa additio exaduerso allegata non est Card. Seraphini, sed est Amanuēsis Farinaccij, vt patet ex praecedentibus, addi-

Digitized by Google

additionibus, vbi vocat Farin. Dominum suum. Et clariùs quia æquiuocat in re, quam habebat ante oculos, dicit enim declarationem prædictàm poni à Cardinali Seraphino in voto præcedenti, in quo tamen nil legitur.

24 Huiusmodi enim distinctio verè sustineri non potest, quia Princeps Dominus directus dicitur Dominus non solùm status immediati, sed etiam mediati, nam Terra sua dicitur etiam illa, quæ est infeudata, & ideo eius Constitutiones in vtraq; sunt seruañ, cum procedant à suprema auctoritate, & ab alto dominio, quod numquam transferri potest in alium, & in specie quod eius Constitutiones sint seruandæ etiam in Statu mediato per supradictas rationes, quæ applicantur maioribus Inuestitis, vt ad sensum patet, dixerunt *Castr. cons. 368. nu. 1. lib. 2. Brun. tract. quod stantibus masculis art. 6. num. 68. Sola ad Stat. Sabaud. tit. de foro compet. glos. 1. num. 6. ad med. & seq. fol. 21. Ceph. cons. 35. num. 42. Farin. quæst. 108. num. 62. Surd. cons. 210. num. 21. post med. & seq. per tot.*

Hinc conclusum fuit in Rota, potuisse
25 Imperatorem concedere feudum in Statu Mediolani non obstante Inuestitura concessa Duci in forma amplissima, quia licèt plenam Duci concesserit auctoritatem, maiorem tamen apud se retinuisse censebatur, ita *Gomes. decis. 42. lib. 2. Mohed. decis. 3. num. 5. tit. de fid. instr. sequitur Raudens. cons. 1. num. 435. lib. 2.*

Princeps autem Superiorem non reco-
26 gnoscẽs in sua Ciuitate, vel Castro duplex habet dominium, & tanquam Pontifex, Imperator, vel Rex, & istud est supremum & inalienabile, nec separabile à Sceptro, & Corona Dignitatis suæ. Aliud autem vti Dominus illius loci, & hoc potest aliquando alienari, & alteri concedi. Vnde supremum illud, & altum dominium non intelligitur cōcessum nisi ad fauorem Romanæ Ecclesiæ, ac aliarum inferiorum, & si fuisset concessum, perperam actum censetur, & successor non tenetur ad illius obseruantiã, prout censuerunt *Bald. in proœm. feud. num. 32. vbi etiam Præpos. num. 24. & Ias. num. 77. Lauden. in cap. 1. num. 31. qui feudum dare possunt Seisel. eod. tit. part. 1. limit. 1. fol. 219. Iacobin. in verb. feud. nu. 2. Alex. in l. filio quem Pater num. 15. ff. de liber. & posth. Longoual. in l. Imperium n. 256. vers. 2. facit, ff. de iurisd. omn. Iud. vbi etiã Caccialup. nu. 35. Aretin. in cap. nouit n. 24. de Iudic. vbi etiam Felin. num. 8. vers. tunc enim secundum ipsum Gramm. voto 28. n. 25. ante med. benè Couar. pract. quæst. c. 4. n. 1. Rolan. cons. 2). num. 178. lib. 2. Tiber. Decian. cons. 25. nu. 72. lib. 1. Seraph. de iuram. priuil. 75. num. 45. Peregr. de iur. Fisci lib. 1. tit. 3. num. 75. Rosental. de feud. cap. 5. conclus. 11. n. 208. & in glos. 3. Surd. d. cons. 210. num. 55. & nu. 62. Menoch. cons. 604. nu. 15. vbi etiam Panzirol. cons. 605. num. 6. Fachin. controu. lib. 13. cap. 19. in fin. vers. 2. notandum Peregr. cons. 1. num. 7. & seqq. lib. 1. Ioseph. Ramon. cons. 38. num. 32. Montan. tract. de Regalibus in princip. nu. 6. vers. pariter nec partem Mastril. de Magistral. lib. 1. cap. 12. num. 51. Spada de Baronibus Status Ecclesiastici num. 14. & plur. seqq.*

Quo stante sequitur, vt rationes exaduerso adductæ ad comprobandam distin- 27
ctionem inter Status maiores, & minores facillimè corruant, dũ enim dicitur, quod verba intelligenda sunt in potiori significatu, & sic in statu mediato, vbi non retinentur Iura Imperij, tollitur ex eo, quia altum dominium, à quo dependet auctoritas condendi leges in Statu mediato, in omnibus retinetur ex præallegatis, sic & alia, quod in erectione Ducatus Castri translata fuerit suprema auctoritas patet ex supradictis non subsistere, quia non potest transferri, nec alienari, neque à Corona disiungi in præiudicium successorum, vt latè in his terminis respondit *Surd. d. cons. 210. num. 55. & num. 62.*

Nec

Digitized by Google

Nec auctoritates exaduerso allegatæ
28 faciunt ad rem, dicunt enim Dominum directum non posse se ingerere in rebus concessis inferiori, & concessionem Regalium, & similium intelligi factam priuatiuè, non cumulatiuè, nàm hoc non procedit in regalibus maioribus, & alijs Principi reseruatis in signum supremę potestatis, prout est concedere legem generalem, quæ obliget omnes etiam in locis infeudatis; sunt enim huiusmodi facultates animæ Principatus, quæ ab ipso auelli nõ possunt, & in generali concessione non veniunt, vt egregiè respondit *Surd. d. cons. 210. nu. 55. & seqq.* perperam in contrarium citatus.

29 Argumentum etiam exaduerso adductum tamquam euidentissimum ex Priuilegio ad instar concesso in erectione Castri, vt Dux illius vtatur, & gaudeat omnibus Iuribus, facultatibus, auctoritatibus, & prerogatiuis, quibus alij Duces vtuntur, & gaudent, siuè vti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; & quod in Inuestitura status Parmæ apposita sit clausula ista (vt exaduerso dicitur) *merum, & mixtum Imperium, & gladij potestatem in Ciues Comitatinos &c. Ita quod illi de cætero non amplius Sedem, & Cameram prædictam, sed dd. Petrum Aloysium, & qui pro tempore fuerit iuxtà prædicta eius Successor, in Superiorem loco Sedis, & Cameræ recognoscant*, verè fragillimum est, Tum quia Paulus Tertius in dicta Erectione loquitur de Ducatibus iam erectis, & de Ducibus tunc existentibus, non de erigendis, vt ex lectura patet; Erectio autem Ducatus Castri facta fuit de anno 1537. & Erectio Ducatus Parmę de anno 1546. & proindè nullo modo applicatur consideratio Relatoris, Tum etiam quia in prædicta erectione Ducatus Castri conceduntur *facultates, & priuilegia, quibus alij Ducatuum Duces &c.* vt in copia etiam in Scriptura Relationis latino sermone impressa nu. 3. non autem quibus alij Duces, & Ducatus, vt erroneè traduxit exaduerso scribens; Si alijs Ducibus, ergo non Petro Aloysio, quia dictio illa (alijs) intelligitur de diuersis personis, non de eodem supposito, vt per *Bero cons. 86. nu. 13. lib. 3. Magon. decis. Florentin. 146. Rot. in rec. decis. 327. nu. 7. par. 1.*

Respondetur etiam, vel non valere ta- 30
lem concessionem in Inuestitura Parmen. quòad altum dominium, quatenus adesset ex supracitatis, vel intelligi debere in ordine ad merum, & mixtum Imperium, de quibus in principio illius clausulæ loquitur, secus verò respectu supremæ potestatis, & alti dominij, quod est supra gradus meri, & mixti Imperij, ideo concesso mero Imperio non venit facultas condendi legem generalem, quæ competit solo Iure Principatus, vt benè explicat *nu. 13. Surd. d. cons. 210. num. 57.*

Præterea expredictis clausulis cõmuni- 31
cantibus Priuilegia nõ censentur translata extraordinaria, sed tãtùm ordinaria, etiam quando verba sunt valdè ampla, & vniuersalia, vt firmauit *Rot. diuers. decis. 55. nu. 14. p. 2. & corã Coccino dec. 269. nu. 3. ac in recen. decis. 214. num. 5. par. 2.* vbi quod huiusmodi communicationes non extenduntur ad ea, quæ non solent concedi, vel saltem cũ magna difficultate conceduntur, atque *in Vrbinaten. Decimarum 25. Iunij 1618. coram Eminentissimo Cardinali Pamphilio*, vbi alia decis. Rotales recensentur.

Cæterum quicquid fuerit dictum in 32
Bulla super Erectione Ducatus Castri sub die vltima Octobris 1537. emanata, euidẽter remouetur omnis scrupulus ex Decreto Consistoriali per Cardinalem Alexandrum Farnesium tunc S. R. E. V. Cancellarium subscripto die 19. Decembris eiusdem anni, in quo præuia narratiua præcedentis Erectionis Ducatus Castri clarissimis verbis Duces Castri æquiparati fuere alijs Baronibus, & Domicellis Romanis in districtu Vrbis constitutis.

Ad id, quod exaduerso dicitur, Duces

Ferrariæ, & Vrbini habuisse semper vsum liberũ Tractarũ non obstantibus Cõstitutionibus Pij IV. & aliorum supradictorũ, Respõdetur nõ constare de tali vsu, maximè cũ scientia, & patientia Summorũ Pontificum certa, & positiua, sine qua non admittitur non vsus, neque contrarius vsus Constitutionum Apostolicarum præsertim habentium clausulam sublata cum decreto irritanti, vt sæpissimè firmauit *Rota, & præcipuè coram Card. Caual. decis. 85. n. 2. ac decis. 91. num. 7. cum duobus seqq. atq. in Romana Societ. officij 15. Nouembris 1624. coram Vbaldo Seniore, cum alijs adductis in Maioricen. Indultorum 11. Aprilis 1639. coram Merlino*.

34 At si quis vellet tenaciter persistere in ea opinione, vt de tali scientia, & patientia constare posset, adhuc non releuaret, nam & in hoc Summi Pontifices imitati fuissent ipsum Deum, de quo habemus in Psalmo 74. notabile dictum. CVM ACCEPERO TEMPVS EGO IVSTITIAS IVDICABO, vbi S. Augustinus, Card. Bellar. Genebrardus, & Agellius rectè explicant, & exitus satis demonstrat Deo permittente, multos Constitutiones Apostolicas nõ seruantes, aut similia perpetrantes in magnas Incidisse calamitates.

Et in specie de tolerantia Summorum
35 Pontificum *Text. est in cap. cum iam dudum 18. de preben.* vbi Innocentius Tertius in fine subiungit hæc verba. *Cum multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in iudicium exigente iustitia non debeant tolerari*, & exornant *Crauet. cons. 96 num. 7 Prepos. in cap. leges num. 3. ad fin. dist. 4. Nauar. de redd. Eccles. q. 1. monit. 54. nu. 2. & 3. Rot. dec. 10. sub n. 4. de consuetud. in antiq. & coram Gregor. decis. 162. num. 11.*

Præterea cum non sit æquum, vt error
36 veritati præualeat, non solum tacitæ, sed etiam expressæ approbationes huiusmodi non potuerunt, nec possunt Sedi Apost. præiudicium aliquod inferre, prout optimè declaratum fuit in Constitutione Sanctissimi D. N. super præseruatione Iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum de anno præterito 1641. edita.

Verùm cessat omnis difficultas ex eo, 37
quod à prædictis Ducatibus non potest rectè inferri ad Prouinciam Patrimonij, in qua est Castri Ducatus cum Duces Castri in supradicto Consistoriali decreto æquiparati sint Baronibus, Domicellisque Romanis in districtu Vrbis Constitutis, & militet diuersa ratio; In ea enim non solum anteConstitutiones Pij Quarti, & plurium Successorum supra relatorum aderat particularis prohibitio Tractarum ex Constitutione Bonifacij Octaui successiuè semper effectuata, & plurimis Bannimentis renouata, sed etiam post Constitutiones Pij Quarti, & successorum prædictorum in dicta Prouincia, & in eodem Ducatu Castri prohibitæ, & respectiuè concessæ fuerunt Tractæ tàm ab ipso Pio Quarto, quàm à Pio Quinto, Gregorio decimotertio, in cuius Pontificatu Camera Apostolica citato Procuratore Ducis Castri declarauit, ei non licuisse, neque licere extrahere frumentum à dicto Ducatu, & desuper expedita fuit per Cardinalẽ Camerarium inhibitio, quæ fuit personaliter præsentata dicto Procuratori, & Viceduci Castri, vt supra deductum est, deindè aliæ licentiæ extrahendi concessæ fuerunt à Sixto Quinto, & Clemente Octauo etiam ipsis Ducibus petentibus, & acceptantibus, ex quibus licentiarum petitionibus, ac earum vsu inductæ fuerunt confessiones, & approbationes præcedentis prohibitionis, vt benè per *Rotam in recen. decis. 144. num. 7. par. 1. cum alijs superius adductis num. 10.* & proinde frustra recurritur ad exẽplum aliorum diuersorum Ducatuum, in quibus prædicta minimè concurrunt, ponderando etiam, quod specialis consueduto, ac obseruantia Prouinciæ, & locorum, de quibus agitur, magis attenditur

ditur, vt per *Parif. conf. 13. n. 25. & 30. lib. 1.*

38 Tertio videndum est de potestate reuocandi Priuilegia prædicta, circa quam non esset immorandum, cum sit sacrilegiũ de supremi Principis potestate disputare, aut dubitare *l. 2. C. de crimine sacrilegij glos. 1. in c. cũ te de ætate, & qualitate Albert. Brun. conf. 1. n. 35. cũ alijs per Loffred. conf. 40. n. 21.*

39 At exabundanti dicitur, supremo Principi indubitanter competere facultatem reuocandi Tractas ab Antecessoribus cõcessas, maximè ex causa publicæ vtilitatis, ex qua emanarunt Constitutiones generales supradictæ Pij Quarti, & aliorum Summorum Pontificum, prout in terminis Tractarum tenuerunt *Camil. de Curte in diuers. Iur. feud. par. 1. §. Redeundo igitur num. 56. cum plur. seqq. & præsertim nu. 61. fol. 27. & 28.* vbi quod ad Principẽ spectat clausuram, vel aperturam Tractarum permittere ex causis suam mentem mouentibus *Minad. in repetit. Constitutionis in aliquibus num. 61. ad med. fol. mihi. 36.* ibi, & propterea pro claudendis Tractis non vocatis Baronibus, & Vniuersitatibus, potuit prouideri, & de Tractis ex Priuilegio Papæ concessis Cardinali dixit *Rota coram Card. Mantic. decis. 4. nu.* 8. Et ratio euidens est, quia non possunt validè, & irreuocabiliter alienari ea, quæ concernunt Regiam Coronam, & altum Dominium, vt supra cõprobaui, sed huiusmodi Tractæ cum concernant principalem curam Principis Supremi, nempè prouisionẽ status circa abbundantiam, quæ est res magis debita à Principibus tempore Pacis, & Belli, sequitur, vt dicantur inhærere Regiæ Coronæ, & Dignitati, vt per *Capic. in Inuestitura feudali verbo Portubus ante fin. vers. clausura enim fol. 112. & Camil. de Curt. in diuers. Iur. feud. §. Redeundo igitur numer. 56. fol. mihi 27.*

40 Et generaliter in concessionibus Regalium, & similium ex Priuilegio quod supremus Princeps non teneatur seruare factum Antecessorum, sed tales concessiones reuocare valeat, maximè ex causa publicæ vtilitatis tenuerunt *Bald. tit. de pace constantiæ §. amplius consueuerunt num. 1. in fin. & num. 2. Campeg. inter conf. Albert. Brun. conf. 2. num. 44. & conf. 11. num. 12. Felin. in cap. 1. num. 5. vers. declara de probat. Natt. conf. 636. numer. 200. Suarez alleg. 9. num. 7. Boss. tit. de Regal. n. 33. in fin. & nu. 34. Osasc. decis. 101. num. 12. & 13.* vbi de veriori testatur, *Idem Osasc. conf. 27. num. 32. & 34. cum alijs per Surd. conf. 210. num. 61. in fin. cum seq.* vbi quod Regalia indistinctè reuocantur per Successorem, etiam si modicum inferant damnum.

At in fortioribus terminis extant plurima exempla reuocationum per Summos 41
Pontifices factarum de concessionibus Antecessorum, & signanter Pauli Tertij, qui omnes concessiones, & alias dispositiones à Clemente Septimo à die 1. Iulij 1534. emanatas, per quas Cameræ Apostolicæ aliquod præiudicium inferebatur, reuocauit, immo etiam Io. Mariam de Varano, ac Iuliam eius filiam à Leone Decimo, & Clemente Septimo inuestitos Ducatu Camerini priuauit, quamuis pro se haberent tres Conformes Rotæ, & alias tres Cameræ Apostolicæ, illumq. tradidit P. Aloysio Farnesio, qui postea ex permutatione dicti Ducatus Camerini à Camera Apostolica consequutus est Ducatum Parmæ, & Placentiæ, vt notorium est, adeòut minus liceat habentibus causam à prædictis Paulo, & [redacted] aspernari simile ius, & quidem ritè, & rectè sibi in aliqua parte dici, quod in totum ipsi alijs dixerunt, vel dici effecerunt iuxta Edictum, quod summam æquitatem habere dixit *Vulp. Iuriscõsultus in l. 1. ff. quod quisque Iuris* faciliùs enim admittitur reuocatio, & limitatio in parte, quàm reuocatio in totum, prout in specie aduerterunt *Franc. Becc. conf. 50. num. 42. & num. 54. in fin. cum seq. Gozad. conf. 5. nu. 7. vers. 5. Rota in recent. decis. 174. nu. 5. par. 1.*

ma-

in inferioribus constare debet, quod sit iusta.

Idem *in cons. 142.* non facit ad rem, loquitur enim de rescripto Papæ particulari, per quod ait non debere tolli ius quæsitũ sine causa, admittens fieri posse cũ causa.

Bart. in l. fin. num. 2. C. si contra ius dicit, *Aut vult mihi dominium auferre ius cõmune condendo, & potest, Aut iurisdictionem exercendo, & potest, aut priuilegium alteri concedendo, & regulariter non potest, nisi in hoc vertatur publica vtilitas,* igitur tenet, quod per viam legis possit.

Idem *Bart. in prima Const. ff. num.* 4. admittit fieri posse cum causa, licèt secus sine causa.

Angel. cons. 6. n. 3. non tractat hãc materiã, sed explicat statutum Florentinum de cessantibus, & fugitiuis.

Alex. cons. 190. *num.* 13. *& seqq. lib.* 2. latissime probat, quod per statutum generale possit tertio præiudicari ex causa publicæ vtilitatis.

Roman. cons. 310. *in princ.* Inquit, Rempublicam Florentinam condendo legem generalem potuisse præiudicare Iuri tertio quæsito.

Tiber. Decian. cons. 25. *num.* 49. *lib.* 1. nil dicit, quando disponitur per viam legis generalis, & num. 47. in fine dicit non posse sine causa, sed admittit posse cum causa.

Ias. cons. 1. *lib.* 1. *num.* 19. in verbis cõtradicit, sed adducit Auctores contrarium dicentes, vt ex lectura patet, & ipse loquitur in contractu oneroso, & per viam trãsactionis inito, vt patet ex themate consilij, & num. 14. ac ferè per totum; Transactio autem est contractus reciprocus & sui natura requirit, vt aliquid ab vtraq. parte remittatur *l. transactio* 38 *et ibi glos.* 1. *Bart. & Bald. in sum. C. de transact.* Præterea idẽ *Ias. num.* 20. admittit, reuocationem fieri posse, quando versamur in iure quæsito ex priuilegio, cum nullo Iure sit obligatus concedens, nec illius Successor, nisi receperit à Priuilegiato vtilitatẽ, quæ habeat perpetuam commensurationem cum re concessa.

Ex his apparet etiam, non refragari Doctrinas exaduerso ad verbum relatas, cũ huic casui minimè applicentur, vt ex lectura patet, & signanter *Card. Zabar. cons.* 147. *Bellam. & Præpos. in cap. si Dominus Caus.* 11. *quæst.* 3. loquuntur enim, quando Papa vellet reuocare contractum onerosũ, pro quo pecuniam recepisset, qui contractus onerosi fuerunt in Constitutionibus tàm Sanctissimi D. N. quàm Pauli V. & aliorum supra relatorum exprese præseruati; Nam in casu Zabar. agebatur de contractu census constituti super quodam Prædio Hospitalis pretio centum florenorum expenden. pro reparatione eiusdem Hospitalis, qua indigebat, vt patet ex themate dicti consilij, sit etiam Bellamer. & Præpos. dicentes, tunc Principi non esse obedien. quando manifestum est, præcipere id, quod non potest, sed si præcipit in præiudicium tertij id, quod potest præcipere, apertè firmant, ei esse obediendum; Cum autem ex prædictis euidentissimè constet, potuisse tot Summos Pontifices Tractas reuocare, absq. hæsitatione dicẽdum est, commisisse peccatum inobedientiæ illos, qui ausi sunt contradicere. 46

Pariter non releuat obiectum desumptum ex Chirographo eiusdem Clementis Octaui, & Instrumento assertæ transactionis initæ cum Camera Apostolica, vbi Dux se obligauit vendere frumenta Cameræ Apostolicę tempore necessitatis, cũ hoc quod Camera declararet in scriptis, se velle emere, & post duos menses frumentum stare suo risico, ac teneretur soluere maius pretium, quo venditum fuisset à die declarationis per totũ mensem Maij sequentis Pisis, Liburni, Lucæ, Viareggi, Neapoli, & Ianuæ, quarum Pla- 47

Digitized by Google

52 Demum obiectio desumpta ex *Constitutione* 28. Sanctiss. D.N. in §. 29. vbi præseruantur facultates, & indulta competentia ex Inuestituris, arguendo etiam ad facultatem extrahendi, quæ prætenditur cõcessa in Inuestitura Montis Alti, & Erectionis Ducatus Castri, nullo nititur fundamento, cum ibi Sanctissimus D.N. non loquatur de Tractis, sed de alijs facultatibus ratione supremæ potestatis, ac Superioritatis, & quidem verbis adeo claris, vt aliqua non egeant Interpretatione. De Tractis autem explicitè agit in §. 15. 16. ac 19. vbi Tractas indistinctè reuocauit, excipiendo solummodo concessiones in vim contractus ex causa verè onerosa cõgruæ, & effectualis pecuniarum solutionis, quæ causa fuerit in Camera Iustificata, etiamsi concessiones fuissent aliàs in Camera admissæ, & registratæ. Quando enim adest specialis, & separata prouisio, ac discretiuus loquendi modus, tunc verba in altera parte adiecta quantumuis ampla non comprehendunt ea, de quibus iá disponens discretiuè prouidit, etiamsi essent apta comprehendere, vt per *Ruin. cons. 131. num. 4. lib. 2. Corn. cons. 90. num. 6. & 7. lib. 3. Rota coram Card. Seraph. decis. 1486. num. 12.*

53 Quarto loco videndum est de Iustitia, & validitate Edicti Eminentissimi D. Cardinalis Camerarij. Impugnatur enim pluribus medijs, & præcipuè sub prætextu, quod adesset inimicitia inter dictum Cardinalem, & Ducem, Ideo potuisse allegari suspectum, sed hoc obiectum leuissimũ est, Tum propter facti notorietatem, quod nulla aderat inimicitia, & in Responsione facti clarissimè ostenditur; Tum etiam quia ad effectum, vt per Cardinalem Camerarium promulgetur de ordine Summi Pontificis Edictum reducens ad memoriá Constitutiones generales præcedentes, in quibus dictus Cardinalis expressè deputatus est exequutor, non requiritur ordo Iudicialis, sed extraiudicialiter proceditur, quo casu non attenditur allegatio suspecti, vt adnotauit *Butr. in c. cum venissent nu. 10. de Iudic.* Et est *text. in cap. nouit. 43. de appellat.* ibi *Interdicti sententiam Cardinalis non edidit, sed potius publicauit, nec fuit Dictator, sed merus Exequutor*, & inferius dicitur *propter suspicionem nõ debuisse desistere, quia non proprio motu, sed Papæ Præcepto processit*, & ibi *Bald. & Franc. num. 2.* dicunt, Cardinalem merum Exequutorem non posse allegari suspectum, concord. *Lauren. de Iud. suspecto cap. 8. num. 2.* sed nec ausus est Relator asserere aliquam suspicionem fuisse allegatam, nisi die 23. Septembris, quæ tamen omnino aliena est à veritate, vt clarissimè ostenditur in Responsione ad tertiam Partem Relationis, & Edictum super Tractis publicatum fuerat sub die 22. Martij antecedentis, & sic per plures menses ante excogitatam suspicionem.

Præterea etiam in fortioribus terminis Iudex quamuis notoriè suspectus procedere potest in causa, donec allegetur suspicio, vt aduerterunt *Io. Andr. in cap. cum super num. 21. in fin. de offic. deleg. Petr. Barbos. in l. si quis ex aliena num. 74. ff. de iud. Mastrill. decis. 151. nu. 16. & seqq.* Et quidem cum debitis requisitis, aliàs reijcitur, vt per *Ludouic. Saccam. cons. 70. num. 14. in fin. cum duob. seqq.* vbi loquitur in causa delegata per Imperatorem Duci Parmæ, & de hac materia suspicionis in alijs partibus infra opportunius agetur. 54

Dicitur etiam exaduerso, D. Cardinalem fidem facere de ordine Papæ, de quo prætenditur, ei fidem non esse adhibendá tamquam inimico, ac etiam cessante inimicitia, ex quo agitur de magno præiudicio, Verùm circumscripta prætensa inimicitia, quæ omnino circumscribenda est ex late deductis in facto, & inferius deducendis, Respondetur viuæ vocis oraculum 55

non

Castri, vt supra ostensum est, quod autem non sit necessaria derogatio dictæ regulæ in huiusmodi Edictis, & similibus, quæ nihil noui inducũt censuit *Rota coram Giptio in Camerinen. pensionis relata per Garc. de Benefic. par. 1. cap. 5. num. 276. & decis. 192. ante fin. lib. 3. par. 3. diuers.* Vlterius ex abbundãti fuit etiam specificè dictæ regulæ derogatum in Constitutione 28. Sanctissimi D. N. §. 31

Ex quibus sublata sunt omnia exaduerso congesta in prima parte Relationis.

Digitized by Google

Digitized by Google

186

AD SECVNDAM PARTEM RELATIONIS

RESPONSIO IVRIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMARIVM
Secundæ Partis.

TRES Inspectiones habet Pars secunda, de quibus nu. 1.

In prima ostenditur, Ducem non adimpleuiße promissa in erectionibus Montium nu. 2. & seqq.

Promißa principaliter consistunt in idonei Depositarij deputatione, & manutentione, in reddituum, ac fructuum effectuali solutione, & consignatione, atque in præstanda conductorũ obligatione fauore Montistarũ n. 3.

Defectus circa idoneitatem Depositarij probatur nu. 4. & duob. seqq.

Quòad effectualem solutionem, & consignationem nu. 7.

Et quòad obligationem Cõductorum n. 8.

Sola Conductorũ assignatio nõ releuat n. 9.

In secunda probatur, Ducem potuisse cogi ad extinctionem Montium stante prædicto non adimplemento num. 10. & seqq.

Promissio damnorum, & interesse continet restitutionem sortis in locis Montium, & Censibus in Bulla Baronum æquiparatis num. 11. & seqq.

Licentia Montistis data capiendi possessionem bonorum, eaque locandi, & fructus percipiendi tamquam facultatiua, & ad eorum fauorem apposita non impedit facultatem vendendi, & subhastandi ex alijs verbis Erectionum, & ex Bulla Baronum competentem num. 13. cum pluribus seqq.

Clausula dummodo ex illis non sequatur dictorum bonorum alienatio in Instrumento pro erectione primi Montis apposita respondetur num. 15. & duobus seqq.

Regula de prouisione hominis, quod tollat prouisionem legis nõ procedit, quando prouisio hominis est facultatiua, & compatibilis cum prouisione legis, nec minus quando plenior est legis prouisio num. 18.

Bulla Baronum procedit in Montibus tàm ante, quàm post eius promulgationem erectis num. 19.

Et quamuis in erectione non adsit pactum extinguendi intra certum tempus, cum sufficiat defectus adimplementi promissorum in toto, vel in parte num. 20. & 22.

Prædicta Bulla locum habet non solum in Baronibus Vrbis, verùm etiã in Baronibus, & Ducibus totius Status Ecclesiastici nu. 21.

Mandatorum præsentatio, & Montistarum instantia non requiritur, sed sufficit instantia Commissarij Generalis Cameræ Apostolicæ tàm vigore d. Bullæ Baronum, quàm Bullæ Congregationis Montium nu. 22. cum duobus seqq.

Obiectio de frumento per Ministros Cameræ Apostolicæ à Siris empto penitus cessat ex deductis num. 25.

In tertia Inspectione defenditur, ritè, & rectè Processum instructum, & mandata relaxata fuiße num. 26. et seqq.

De Iurisdictione Eminentissimi D. Cardinalis Camerarij dicto num. 26. cum duobus seqq. vbi etiam respondetur Obiecto prætensæ suspicionis.

De legitimatione personę Commissarij Cameræ Apostolicæ ex Bullis Baronum, & Congregationis Montium num. 29.

Et de legitimatione personarum Mangelli, & Monguidi, qui pro Duce comparuerunt docetur num. 30. & 31.

De Citationibus contra prædictos, ac per Edictum num. 32.

Iustitia verò Decretorum deducitur n. 33. vsque ad finem.

PARS SECVNDA
De extinctione Montium

DEgeneres animos timor arguit; Vnde non sine misterio à timore incipit exaduerso scribens secundam Relationis Partem, cũ & factum de more suo alteret, & supponat in iure conclusiones minus veras, vt ex ritè, ac rectè gestis colore aliquo valeat calumniosas suadere consequentias. Sed vt breuius quam possit conuincantur omnia exaduerso adducta proponam.

Digitized by Google

1 Primo loco discutiendum, An Dux Odoardus adimpleuerit promissa in erectione Montium.

Secundo An ex non adimplemento potuerit cogi ad eorum extinctionem.

Tertio An Processus ritè instructus, & relaxata mandata fuerint.

2 Circa primam Inspectionem tres sūt Montium Erectiones, de quibus agitur. Prima de anno 1600 locorum 2000. specialiter constitutorū super redditibus Plani Abbatiæ, à quo loco nomē accepit cum onere Ducis, *vt pro maiori dicti Montis, & illius creditorum cautela, & securitate teneatur Depositarium in Vrbe deputare, qui Campsor publicus, ac fide, & facultatibus idoneus existat, & in manibus illius omnes pecunias ex fructibus, redditibus, & prouentibus Status Castri, & signanter Plani Abbatiæ prædictæ integrè solui, & consignari facere &c. & de soluendo Montistis in fine cuiuslibet bimestris idē Depositarius in forma Cam. se obligare teneatur &c. Necnon omnes locationes dd. bonorū, vt præfertur, assignatorū in futurum faciēdæ fiant cum expressa obligatione conductorū de soluendo pensiones eidē Monti, ac eius Depositario prædicto.*

Secunda erectio de anno 1605. locorum 7150. appellata Mons Farnesius Primæ Erectionis cum eodem onere *deputandi Depositarium fide, ac facultatibus idoneum, eique integrè soluere, & assignare faciendi ex dictis redditibus scuta 54. mill. annua pro satisfacien Montistis temporibus statutis in summa scutorum 39. mill. circiter, & reliquum in alijs locis Montium inuestien, & multiplicandi intra 12. annos, itaut dicto tempore transacto Mons extinguatur, ac etiā obligari faciendi Depositarium, & conductores bonorum*, vt in prima Erectione dictū est. Quæ omnia repetita fuerunt in additione locorum 606. eidem Monti facta de anno 1632.

Tertia Erectio concessa fuit à Sanctissimo D.N. de anno 1640. locorū 12917. quorum pretium inseruire deberet pro anteriorū Montium extinctione cum eodem onere *deputandi Depositarium idoneū, qui in forma Cameræ Apostolicæ se obligaret de soluendo. Item cum promissione soluendi redditus bonorum, & obligari faciendi conductores præsentes, & futuros*, vt in præcedentibus Erectionibus, & iste vocatus fuit Mons Farnesius secundæ Erectionis.

Ex quibus apparet principaliter tria promissa fuisse à Ducibus. Primo Depositarij idonei deputationem. Secundo reddituum effectualem solutionem. Tertio Conductorum, & Depositarij obligationem. 3

Defecit Dux in primo, quia cōstituit Depositarios Hieronymum Martellum, & Ioannem Grillum, qui publicè decoxerunt, vt notorium est; Interpellatus igitur Dux post eorum decoctionem tàm extraiudicialiter, quàm iudicialiter pro adimplemēto promissorum, & explicitè ad præstandum Depositarium, qui esset idoneus, adimplere debebat iuxta formā suarum obligationum, & eius Ministri hoc illi suadere tenebantur, non autem prætendere iustitiam eludere, & immenso numero Creditorum etiam miserabilium, qui sub fide publica contraxerunt non satisfacere; obligatus enim ad constituendum Depositarium idoneum pro Creditorum cautela tenetur etiam illum manutenere talem omni tempore, itaut eo facultatibus lapso alium æquè idoneū constituere debeat *l. si ab arbitro* 10. §. *quod si medio, ff. qui satisd. cog. l. planè 4. ff. vt in possess. legat. l. prætoria 4. ff. de prætor. stipul.* Maximè quia continet factum successiuum, vt in simili de cedula bancaria promissa pro soluenda pensione, quod sit renouanda decocto Mercatore pluribus comprobat Barbos. *in cap. Pisanis num. 7. et seq. de restit. spol.* 4

Et hoc idem claris verbis promiserunt Duces in Instrumentis Erectionum prædictarum, vt in obligatione facta pro primo Monte ibi, *Necnon prò maiori d. Montis,* 5

Digitized by Google

tis, & illius creditorum cautela, et securitate, ac faciliori dd. fructum exactione, & consequutione ex nunc D. Tiberium Ceulũ Depositarium dicti Montis, ac redditũum præfatorum elegit, & deputauit, & in defectum illius alium æquè idoneum, & in Vrbe quoties opus fuerit eligere, & deputare, omnesque dd. redditus, & prouentus dicti Status, & Ducatus Castri, & signanter Plani Abbatiæ in manibus eiusdem D. Tiberij Ceuli, seu alterius pro tempore eligendi, & deputandi Depositarij quolibet anno dicto Monte durante solui, et cum effectu consignari facere promisit, & se obligauit &c.

6 In obligatione pro secundo Monte eadem verba repetita fuerunt, sic etiam in alia obligatione pro tertio Monte siuè Farnesio secundæ Erectionis nuncupato ibi, *Necnon pro maiori dicti Montis, & illius creditorum cautela, et securitate etc. ex nunc DD. Hieronymum Martellum, et Ioannem Grillũ Mercatores Romanam Curiã sequentes ibidem præsentes, et acceptantes, in Depositarios dicti Montis, ac redditũum prædictorum elegit, et deputauit, et in eorum defectum alium æquè idoneum in Vrbe quoties opus fuerit eligere, et deputare promisit, et promittit, omnesque dd. redditus, et prouentus, sic vt supra separatos, et applicatos dicti Status, et Ducatus Castri, et Roncilionis, et signanter Castrorum, Terrarum, et bonorum superius expressorum in manibus eorumdem Depositariorum, seù alterius pro tempore eligendi, et deputandi Depositarij quolibet anno dicto Monte durante solui, et cum effectu consignari facere promisit, et se obligauit etc. Insuper promisit etiam, quod dicti DD. Hieronymus, et Ioannes Depositarij, et alij, vt supra de dictis fructibus, et redditibus soluent in primis, et ante omnia dictam annuam summam scut. 58126. cum dimidio moneta etc.*

7 Minus adimpleuit Dux in curando fieri solutionem, & cõsignationem cum effectu promissam scut. 58126. cum dimidio, vt clarè in supradictis verbis continetur; Ex sola enim assignatione pensionis promissæ à Conductoribus nõ erat liberatus ab actuali, & effectuali solutione, quam ipse promiserat, nam assignatio non est solutio cum effectu, sed longè inter se distant *Rot. coram* Card. *Caualer. decis. 71. nu. 2. et in recent. decis. 278. nu. 14. par. 5.* Et quando assignatur merces affictus dictum fuit *in Romana pretensi Canonis coram Patriarcha Manzanedo impress. per* Cenc. *post tract. de cens. decis. 332. nu. 2. ad med. et n. 3. secundum Modern. impress.*

Pariter nõ præstitit obligationem Cõductorum de soluendo Montistis, prout in obligationibus prædictis requiritur, ideò hęsitari nequit de non impleměto, cuius defectus nocet, etiamsi in minimo consistat, & multò magis si in omnibus, *vt per Surd. cons. 369. num. 36. Menoch. cons. 55. num. 6. Ciriac. controu. 239. nu. 27. et seq. Rot. diuers. decis. 365. num. 2 part. 4. in recent. decis. 224. num. 3. par. 2. et coram Gregor. decis. 261. num. 3.* 8

Nec releuat prætextus assignationis Sirorum, cum quibus de anno 1638. Instrumentum Conductionis redditũum Status Castri initum fuerat, & quod per ipsos steterit, quin soluerint, non autem per Ducem; Nam præter quod Siri iudicialiter, & extraiudicialiter deduxerunt, propter non adimplementum ex parte Ducis Instrumentum prædictum non habuisse effectum, clarissimum est, Siros non se obligasse ad aliquam solutionem, aut consignationem pro vltimo Monte, qui erectus fuit de anno 1640. Vnde inexcusabilis est negligentia Ducis non solum in procurãda effectuali obligatione Conductorũ, verùm etiã actuali solutione redditũ Depositario, & Montistis, quæ nõ impletur per solã assignationem, etiãsi assignatio vera fuisset in facto, & cũ acceptatione Sirorũ (de qua tamen non constat) ex supracitatis, ac præsertim *in d. Romana pratensi Canonis corã Manzanedo*, vbi quod nõ sufficit huiusmodi assigna- 9

tio

tio, nisi fuerit ab Affictuarijs acceptata, sicuti neq. apparet, Siros iniustè denegasse soluere, cum prætendant se fuisse Ducis creditores in maiori summa, & Ducem cum eis cōuenisse de soluendo Montistis priorum duorum Montium, antequam constitueret Martellum, & Grillum Depositarios. Huius autem controuersiæ, quæ altiorem requirebat indaginem, definitio procuranda erat ab ipso Duce, nō autem ab alijs, quia ipse *promisit assumere in se, ac terminare omnem litem, & molestiā super fructibus, & bonis Monti assignatis quomodolibet inferen̄ proprijs sumptibus absq; interuentu, vel impensa Montistarum, et de illos manutenendo in pacifica possessione, vel quasi, ac libera fructuum dicti Montis perceptione &c.* Qui enim promisit liberationem à molestijs tenetur pro adimplemēto suæ obligationis statim litem in se assumere, ac tollere molestias, siue iustas, siue iniustas, vt benè explicauit *Rota diuers. decis. 375. in fin. et decis. 815. num. 1. post med. part. 4. in Bononien. census 1. Februarij 1627. coram Pirouano, confirmata sub die 15. Nouembris eiusdem anni coram Coccino, & rursus in alia Bononien. census 10. Ianuarij 1639. coram eodem.*

10 Quòad secundam Inspectionem clarū est, potuisse cogi Ducem ad extinctionem stante non adimplemento promissorum; Nàm in Instrumento obligationis primi Montis, *si predicta omnia, et singula sicuti conuenta, et promissa sunt, non impleantur, teneri voluit ad omnia damna, expensas, et interesse pramissorum non adimpletorum, causa quomodolibet patienda, & incurrenda &c.* Sic etiam in Instrumento obligationis secundæ Erectionis *in omnes, et singulos euentus præmissis contrarios de omni, et quacumq. euictione dd. bonorum vniuersali, et particulari in forma Iuris valida, et in Vrbe consueta, et in omni iudicio petitorio, possessorio, et mixto insolidum, et ad solutionem dd. annuorum 54. mill. scutorum, et ad omnia damna &c. teneatur, et obligatus sit, de quibus damnis &c.* Et hæc promissio repetita est etiam in alijs Instrumentis tàm supradictæ additionis ad istam; quàm tertiæ Erectionis.

Promissio autem damnorum, & interesse continet restitutionem sortis in huiusmodi annuis redditibus, quando non adimplentur promissa, vt dixit *Rota decis. 741. sub num. 1. par. 1. diuers. in Perusina Dotis coram Ortembergo impress. per Marchesan. par 2. fol. 589. nu. 4.* & benè in *Tudertina Census coram Iusto impress. per Cenc. decis. 138. num. 1. et 2. et coram Coccino penès eumdem Cenc. decis. 87. num. 4. coram Gregor. decis. 88. num. 3. atque in supracitatis Bononien̄ Census corā Coccino, et Pirouano.* 11

Hoc idem clarissimè disponitur in Bulla Baronum Clem. VIII. quæ est in ordine 41. §. 8. *vt si inter creditores reperirentur aliqui, qui occasione tàm Montium, quàm censuum &c. creditores fuerint, et quibus de fructibus idcircò debitis hactenus integrè satisfactum non erit, vel in futurum non satisfiet &c. capta summaria informatione etiam extraiudiciali per dictam Congregationem de lapsu temporis, et satisfactione non sequuta absque vlla, vt dictum est, causæ cognitione ad subhastationem, deliberationem, vēditionem, et adiudicationem etc. Et vlterius ad extinctionem dictorum Montium, et Censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum etc. ipsa Congregatio omninò deueniat etc.* 12

Et quamuis in Erectionibus Montium data fuerit facultas Montistis propria auctoritate capiēdi possessionem bonorum pro Dote Montis assignatorum, eaque locandi, & in affictum concedendi &c. ad effectum percipiendi annuam summā pro fructibus Montis debitam. Non tamen ex hoc sublata fuit facultas vendendi, & subhastandi bona non propria auctoritate ab ipsis Montistis facienda, sed à Congregatione Baronum, & Montium quibus secundum facultates à Summis Pontificibus concessas competit, necnon 13

etiam

etiam facultas agendi ad interesse pro adimplemento consequendo; Nã huiusmodi pactum fuit adiectum ad fauorem Mõtistarum dando eis licentiam capiendi possessionem, & locandi propria auctoritate; Vndè non debet retorqueri in odium, vt auferatur facultas adeundi Iudicem, & vtendi iuris remedijs necessarijs, & opportunis. Hæc strictè ad terminos nostros comprobat *Ruin. cons.* 88. *num.* 4. *& num.* 5. *lib.* 1. vbi data facultate Locatori retinendi frumentum pro rata deficientis seminis in restitutione terrarum locatarum, comprobat non esse ad hoc cogendum Locatorem, si velit adire Iudicẽ, & instare pro damnis, & interesse, quia verba facultatiua *quod liceat etc.* nõ inducunt necessitatem, & cautela apposita ad fauorem Creditoris non arctat ad ita faciendũ, adducit *Text. in l. quamuis 6. ff. de pignor. act.* vbi dato pignore cũ facultate vendendi potest Creditor conuenire Debitorem ad soluendum, nec cogitur vendere, & subiungitur in dicto Textu, *Inuitũ enim Creditorem cogi vẽdere satis inhumanum est*, & ibi Bart. & alij notant, *quod si promisisti soluere centum in Paschate, vel dare obsides, vel pignora, non liberaris dando, si ego velim pecuniam, quia quod dictum est de pignoribus, & obsidibus est in fauorem meum, & ideo iniquum est,*
8 *vt ad id cogar inuitus*. Et hanc Ruini doctrinam sequitur etiam *Surd. cons.* 98. *n.* 7. *cum seq.* & censuit *Rot. in Bononien. Pecuniaria* 10. *Maij* 1621. *coram Remboldo.*

14 Corroboratur primo ex illis verbis *pro maiori dicti Montis cautela*, quæ designant esse in facultate eius, ad cuius fauorem facta est cautela, vti, vel non vti, prout sibi magis videbitur, vt in specie aduertit *Rota in recent. decis.* 201. *num.* 1. *par.* 3.

15 Nec refragatur clausula, *dummodo ex illis non sequatur dictorum bonorum alienatio*, de qua in Instrumento obligationis pro primo Monte, cum censeatur apposita ad determinandam facultatem propria auctoritate locandi, & in affictum concedendi, non autem indistinctè ad tollendam facultatem de iure; & ex Constitutionibus Apostolicis competentem, verba sunt clarissima ibi, *Et in omnem casum defectus, & inobseruationis in dicto Motu proprio contentorum eisdem Mõtistis liberam potestatem, & facultatem concessit, vt liceat eis, et cuilibet eorum propria auctoritate absq. aliqua Iudicis licentia liberè realem, et actualem possessionem prædictorum bonorum apprehendere, camptamq. & apprehensam continuare, bonaq. huiusmodi arbitratu eorum quibuscumq. personis, ac pro quocumque pretio reperibili locare, affictare, et in affictum concedere, & ex huiusmodi, vel alijs similibus, aut dissimilibus concessionibus (dummodo ex illis non sequatur dictorum bonorum alienatio) annuam summam vt supra assignatam percipere &c.* Ecce quod inserta sunt ista verba intra clausulam facultariuam capiendi possessionem propria auctoritate, non debet igitur trahi ad restrictionem facultatis à iure, non autem ex isto pacto concessæ, adeundi Iudicem pro venditione, ac subhastatione, & alijs remedijs ad effectum consequendi satisfactionem, et implementum à iure concessis; nàm exceptio restringitur ad terminos, & qualitates eius, quod limitat, *vt per Castr. cons.* 79. *num.* 3. *lib.* 1. subiungentem, quod aliàs exceptio esset derisoria *Natt. cons.* 431. *num.* 32. *Surd. cons.* 262. *num.* 47. *Rota coram Gregor. decis.* 544 *num.* 27. & verba apposita ad qualificandam vnam clausulam ad eam restringuntur, & non modificant alia *Bart. in l. fin. post princip. vers. si enim illa, ff. de reb. dub. Curt. sen. cons.* 46. *nu.* 17. *vers. quo casu illa verba Paris. cons.* 36. *num.* 20. *lib.* 1. *Menoch. cons.* 542. *n.* 6.

Et vt omnino euellatur prædictum motiuum, repeteñ est apud antiquos Romanos, & prius apud Athenienses, à quibus vti à fonte petita fuit pars Iuris Ciuilis, in vsu fuisse constituere pignora cum facultate vendendi in casu moræ, & ideo 16

b postea

postea cæperunt pro expressa habere, etiã quando omittebatur, nisi contrarium fuisset conuentum, vt explicat *Balduin. in §. contra autem Instit. quibus alien. licet, vel non,* & colligitur *ex l. si conuenerit 4. ff. de pign. act.* & potissima, ac præcipua pars huius contractus consistit in facultate vendendi, in tantum *vt Papinianus in l. 3. §. fin. ff. qui potior. in pign.* data facultate vendendi partem Prædij existimauerit pignus intelligi contractum, & ideo vt ab hac materia contractus pignoris minus recedatur, quàm fieri possit explicarunt pactum expressum, ne liceret distrahere, intelligendum esse, dummodo non fuerit ter denunciatum debitori, vt inquit *Vulpian. in d. l. si conuenerit,* & ibi explicant *DD. omnes,* & benè *Neguf. de pignor. p. 6. membr. 1. n. 3.* verba igitur *vt non sequatur bonorum alienatio intelliguntur non absolutè,* & simpliciter, sed solum quatenus non seruentur seruanda, & non fiant prædictæ denunciationes.

17 Vlterius aduertendum est, prædicta verba non adesse in Chirographis Summorum Pontificum, neque in Instrumẽtis obligationum pro secundo, & tertio Monte, sed tantùm in Instrumento obligationis factæ pro primo Monte, in quo omissa sunt verba *tamquam de re propria liberè, & absolutè disponere &c.* de quibus in erectionibus prædictis, sed tamen in dicto Instrumento addita est clausula, *vt Indultum censeatur concessum ad maiorem Montis cautelam, & augmentum, itaut tali Indulto etiam stante infrascripta promissiones locum semper obtineant, non tamen in illis partibus, si quæ sint, quæ eidem Indulto, seu contentis in eo, possent esse contraria &c.* sed restrictiua prædicta *dummodo ex illis non sequatur bonorum alienatio* est contraria contentis in Indulto, vbi non restrictiuè, sed ad cautelam prædicta facultas est adiecta, & non cum sola facultate locandi, verùm etiam addita clausula, *Et alio quocumque modo de possessione, & fructibus bonorum huiusmodi pro præfatorum omnium implemento, & obseruatione consequendis tamquam de re propria liberè, & absolutè disponere, præuia tamen Intimatione Agentibus, & Ministris eiusdem Ducis &c.* Quæ verba nullam recipiunt restrictionem, & significant plenissimã alienandi potestatem ita *Ruin. cons. 27. num. 1. & seqq. lib. 1. Surd decis. 272. num. 13. in fin. & duobus seqq. Soccin. cons. 123. num. 1. ad fin. & num 2. lib. 3.* vbi etiam ponderat similia verba, quemadmodum perfectis Dominis competit, quæ inducunt omnimodã æquiparationem, & omninò cõueniunt prædictis tamquam de re propria.

In Instrumento quoque obligationis secundi Montis apposita fuit clausula *quatenus Montistis, & Depositario prædictis placuerit, & ista via electa liceat variare, & penitus desistere, & agere ad implementum promissorum in ipsum D. Ducem, et suos &c.* quæ clausula est in se clarissima, vt per *Vinc. de Franc. decis. 200. num. 3. vers. accedebat prædictis.* Et continetur etiam in formula obligationis Cameralis apposite in omnibus istis obligationibus, vt patet ex ipsamet formula *apud Gallesi. & Zacch. de oblig. Cam.* & dixit *Rota coram Cardinali Seraphin. decis. 1107. num. 3. & in recent. decis. 161. num. 8. par. 6.*

Ex his apparet, ad rem non facere generalem, & brocardicam regulam exaduerso adductam de prouisione hominis, 18 quæ tollat prouisionem legis, nàm procedit, quando prouisio hominis est restrictiua, & omnino incompatibilis cũ prouisione legis, secus autem quando (vt in 21 hoc casu) est facultatiua, & sic cõpatibilis, vt per *Surd. cons. 34. n. 34. Rot. in rec. deci. 392. n. 4. p. 1.* sicuti non tollit prouisionẽ legis pleniorem *Neguf. de pign p. 2. membr. 4. num. 90. in fin. Franc. Becc. cons. 82. n. 21. in fin. Ofasc. decis. 141. num. 11.*

Nunc soluenda sunt obiecta exaduerso deducta circa Bullã Baronum, & primo dum dicitur, eam loqui de mõtibus iam 19

ere-

Digitized by Google

erectis de tempore promulgationis illius, non autem de futuris. Circa hoc non immorabor, cum *Gratian.discept 608.per tot.* plenissimè deduxerit, & rationibus, atq;auctoritatibus comprobauerit, dictá Bullam habere locũ etiam in futuris, & attestatur ità obseruari, prout verè absq; vlla hæsitatione obseruatur.

20 Secundò dicit, Bullam loqui de montibus, vbi adest pactum extinguendi in ipsa Erectione, sed hoc est contra apertissima verba dictæ Bullæ, quæ sunt ista §.8. *Et vlterius ad extinctionem dd Montium, & Censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum vsque ad diem dicta extinctionis decursorum ipsa Congregatio omnino deueniat, idemq.seruari volumus, & mãdamus quòad illos Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Domicellos, qui licet dd. fructus, suo tempore quotannis soluerint, supradictos tamen Mõtes, vt præfertur erectos, vel census impositos, & venditos intra tempora in erectione ipsorum Montium, aut in impositione, & venditione censuum fideiussoribus promissa, vel aliàs conuenta non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguent, seu etiam alia pacta in eisdem Montium erectionibus, & censuum impositionibus, et venditionibus apposita, & aliàs conuenta, seu in quibuscumque contractibus, in quibus, seu quorum vigore dicti Barones, & Domicelli, aut eorum Auctores, seu Antecessores debitores existunt adiecta non adimpleuerint, vel non obseruauerint, aut in futurum non obseruabunt, siuè adimplebunt in toto, vel in parte ipsa Congregatio eos ad dictorum Montium, & censuum integram extinctionem, & debiti solutionem, ac creditorum satisfactionem, etiamsi dies totius Montium, & censuum extinctionis, vel debiti solutionis non aduenerit, cogat, & compellat.*

21 Tertiò dicit, Bullam loqui de Baronibus Vrbis; Ad quod respondetur loqui de Baronibus, & Ducibus totius Status Ecclesiastici, vt sunt verba clara exaduersò non fideliter relata in §.1. ibi *nonnullos Barones, & Domicellos nostros, & S.R.E. subditos, tàm in Vrbe, eiusq.Districtu, quàm in vniuerso Statu nostro Ecclesiastico existẽtes* & §.2. ad med. ibi, *Quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, et Domicellorum nostrorum, & S.R.E subditorum in Vrbe, eiusq. Districtu, & in vniuerso Statu nostro Ecclesiastico existentium cuiuscumq. status, gradus, conditionis, et ordinis fuerint, et dignitate quacumque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore persulgeant &c.* Quæ sine dubio comprehendunt Ducem Castri, vt comprobaui in prima parte Relationis *num 22. cum plurib. seqq.* Non repetam iam scripta; Addo tantùm, quod in Bulla Pauli V. super Congregatione Mõtium de mense Septembris 1608. adsunt amplissima verba, ex quibus idem comprobatur, ibi, *Necnon contra omnes, & singulos eorumdem Montium etc. qui nunc sunt, vel pro tempore erũt quouis nomine debitores, etiamsi Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Domicelli, et etiam S.R.E. Cardinales, et alij quicumque etiam quomodolibet priuilegiati, qualificati, ac speciali nota digni, qui causa, et occasione fructuum Montium etc. siuè eorumdem Montium extinctionem aliquod hactenus soluere, et adimplere tenentur, et etiam in futurum debebunt etc.*

Quarto dicit, Bullam prædictam tria requirere. Primo Creditores comparuisse coram Congregatione Baronum, & sua mandata exequutiua præsentasse, & pro satisfactione institisse. Secundo Commissarium Cam. possessionem capere debere ad vtilitatem Creditorum. Tertio extinctionem Montium faciendam, vel transacto tempore, vel in casu, quo Barones fructus non soluissent, vel alia pacta non adimpleuerint apposita in Erectionibus montium; *Quali però habbiano il tempo prescritto per la redentione*, subiungens hæc omnia cessare, sed exaduerso scribẽs verba illa. *Quali però &c.* ex suo capite confinxit, cum in Bulla nil tale legatur, sed 22

ex-

expressis, & claris verbis non conditionalibus, sed alternatiuis in §.8. dicitur *seù etiam alia pacta in eisdem montium erectionibus apposita, et aliàs conuenta non adimpleuerint, vel non obseruauerint, aut in futurum non obseruabunt, siue adimplebunt in toto, vel in parte ipsa Congregatio eos ad dd. montium integram extinctionem, etiamsi dies totius Montium extinctionis nō aduenerit, cogat, et compellat*; Duo igitur disposuit, Primum circa Montes nō extinctos iuxtà præceptum in erectione appositum, & hoc casu datur facultas subhastādi, etiamsi essent soluti fructus, & alia pacta adimpleta, Secundum quando pacta non fuerunt seruata, vel adimpleta, & tunc datur facultas subbastādi, etiamsi non adsit tempus præfixum extinctioni, Nàm alternatiua illa, seù, disiungit, & operatur, vt sufficiat vnum ex alternatis esse verum, vt per *Bart. in l. si quis ita 32. in fin. ff. de aur. & arg. leg. Alex. cons. 79. nu. 5. lib. 5. Natt. cons. 650. num. 6. Bellon. Iun. cons. 74. num. 32. in fin. & seq.* vbi quod disiungit non solum verba, sed etiam sensum, ac si essent orationes distinctæ, & æquè principales *Rot. in rec. decis. 255. num. 4. par. 5.*

23 Concurrunt etiam alia requisita, nàm bulla prædicta duas habet partes; prima de creditoribus Baronum ex alijs causis, & in his requirit præsentationem mandatorum, & Instrumentorum creditorū. Secunda Pars est circa montes, & census, & in his dat diuersum modum, & ordinē, vt patet ex claris verbis §. 8. supra relatis ibi, *in præmissis eum seruari debere modum, & ordinem* &c. Neq; in hac parte requiritur præsentatio mandatorū, vel instantia creditorum, sed Bulla mandat procedi capta summaria informatione etiam extraiudiciali; & in terminis quod tunc nō requiratur expeditio, neque præsentatio mandatorum dixit Rota coram *Buratt. decis. 482. sub num. 4.*

24 Et Bulla Congregationis Montium tollit omnem hæsitationem, quoniam mandat, ad instantiam Commissarij Cameræ procedi negligentibus Montistis, ac Depositarijs, constito igitur de non adimplemento obligationis ex parte Ducis, vt supra ostensum est, potuit absque dubio procedi ad instantiam dicti Commissarij ad cōmodum, & vtilitatem creditorum, prout seruatum est.

Non obstat, Cameram emisse à Siris frumentum in dicto statu Castri recollectum, ex cuius pretio prætēditur debuisse solui Montistis sub prætextu, quod hypothecatum esset ipsi Duci, & Montistis, nàm præter quod hoc nō tollit defectum implementi circa deputationem Depositarij, neque etiam excusat ab adimplemento aliorū supra dictorū cessat penitus omnis scrupulus, ex quo dictum frumentum pro maiori parte fuerat à personis priuatis per Siros proprijs eorū pecunijs emptum, & quidem cum modica portione ad Ducem spectāte omnino commixtum, adeout impossibile esset probare dictæ modicæ portionis identitatem, sine qua non datur aliqua hypotheca, licèt etiam sufficeret, vēditionem factam fuisse mercaturā exercentibus, adhoc vt hypotheca, si qua esset, censeretur extincta, vt benè aduertit *Marescott. var. resol. lib. 1. cap. 24. num. 9.* subiungens, ita obtinuisse iudicari. Quinimmò Siri publicè, & palam profitebātur, & profitentur se fuisse antea, necnon etiam de tempore venditionis dicti frumenti in Cameræ fauorē factæ creditores Ducis in summa prædicti frumenti pretium excedente, ac etiā portionem frumenti ad Ducem spectantem deductis expensis in recollectione, ac asportatione factis ad minimam quātitatem reduci. 25

Tertia principalis inspectio circa ordinem processus, & relaxationem mandatorum indubitata est eorum validitas. Etenim de iurisdictione Eminentissimi D. Cardinalis Camerarij euidentissimè constat in eisdem mōtium Erectionibus, & si- 26

& signanter in Erectione primi ibi, *Et vt Montis præfati regimen, exercitiũ, et administratio rectius, et fidelius geratur, et dirigatur, Dilectum filium nostrum Petrum Aldobrandinum S.R.E. Camerarium, et successiuè omnes alios pro tempore existentes Cardd. Camerios d. Mõtis Protectores, & Administratores cum potestate omnes, & quascumque causas super d. Monte, vel ab eo quomodolibet depẽdentes mouendas priuatiuè quòad omnes alios Iudices cognoscendi, et terminandi, ac omnia alia peragendi, quæ ad eiusdem montis vtililitatem pertinere cognouerit constituimus &c.* Idemque ad verbum repetitur in erectione secundi Montis. Et in Erectione vltimi eadem pariter repetuntur in persona Eminentiss. D. Card. Antonij Barberini.

27 Et ad abbundantiorem cautelam signata fuit specialis commissio manu Sanctissimi D.N. eidem D. Cardinali directa, qui vnà cum Baronum, & Montiũ Congregationibus, ac earum facultatibus, & proprijs huiusmodi causas cognosceret, ac terminaret, Itaut de iurisdictione aliquo modo hæsitari nequeat. Et absque vllo prorsus fundamento opponitur de suspicione, cum notissimum sit, nullam adfuisse causam suspicionis. Eò magis quia D. Cardinalis processit vnà cum Congregationibus prædictis, non autem sola auctoritate propria, quo casu indubitanter purgatur omnis suspicio etiam in casibus, in quibus adesset *auth. si verò contigerit C. de Iudic.* & ità seruare Signaturam testatur *Mandos. de commiss. formula 8. verbo Adiunctum*.

28 Maximè verò quia nec à Monguido, neque à Mãngello, qui pro Duce pluries comparuerunt, neque ab alijs prætensa suspicio allegata fuit in actis huius causæ extinctionis Montium, prout de Iure requiritur *l. fin. C. de Iud.* ex quo potius apparet, nullam excogitari potuisse, neque posse inimicitiam, nisi extorqueatur ab administratione iustitiæ, vt in respõsione facti clarissimè deductum est, & in tertia Parte latiùs deducetur. Vndè tantò minus debuisset relationis Auctor super prętensa suspicione insistere, cum explorati iuris sit etiam in fortioribus non admitti suspicionis allegationem post solũ consensum in iurisdictionem *l. apertissimi C. de Iud. Natt. cons. 152. n. 8. Bero. cons. 16. n. 27. & 28. lib. 3. Aldobr. cons. 85. num. 17. lib. 1. Rot. coram Card. Caual. decis. 178. num. 2. & coram Durano pariter decis. 178. num. 2.*

29 Circa personam Commissarij Cameræ comparentis certum est, eam esse legitimam ex dispositione Bullæ Pauli Quinti in Erectione Congregationis Montium, ac etiam ex alia Baronum, dum in §. 8. mandat extraiudicialiter procedi capta informatione, quo casu potest Iudex ex officio procedere nemine instante secũdum *Bart. in const. ad reprimendum verb. neglexerint nu. 4. & in fin. Cephal. cons. 304. nu. 165. et seqq. et nu. 174.* Immo cum loca Montium concernant publicam vtilitatem, & fide publica sint munita, potest Commissarius Cameræ pro eorũ adimplemẽto interuenire, vt fidem publicam sustineat, ac etiam ex officio tunc Iudex procedere potest ex congestis per *Rip. in l. 4. §. hoc autem nu. 45. ff. de damno infecto.*

30 Personæ Mangelli, & Monguidij pro Duce comparentium fuerunt legitimatę, nam procura Mangelli clara est, cũ substitutus fuerit ad omnes causas per Cardinum tunc Ducis Residẽtem, & citatus in hac causa mandatum produxit; Vndè post citationem aduersus eum exequutã ad dicendũ contra, & responsionẽ factã ab eodẽ Mangello non potuit à Duce reuocari *Castr. in l. qua omnia n. 1. ad med. ff. de procur. Mynsynger. centur. 5. obser. 44. n. 5. Grat. disc. 618. n. 1. et 2. Put. dec. 8. tit. de Proc. et dec. 52. n. 2. lib. 2. Rot. diuers. dec. 145. n. 1. p. 1. et coram Buratt. dec. 723. n. 1. et 2. atque in Roman. Pecun. 29. Aprilis 1624. corã Patriarcha Manzanedo,* & ideò inexcusabilis est audacia exaduerso scribentis, dũ negauit, Mangellũ esse Procuratorẽ Ducis,

Digitized by Google

31 Sic Monguidius ex abbundanti citatus pro Ducis Ministro tunc cōmuniter habitus & tractatus fuit, & ipse in actis huius causæ vti talis cōparuit, ideoq. legitima fuit citatio eiusdē in Palatio Ducis, quod pro Domicilio ad effectum citandi electum fuit in Instrumētis Erectionum montium, vt in primo Instrumento ibi, *Ad omnem solam, & simplicem etiam extraiudicialē, & minus solemnem dicti Serenissimi venditoris, vel eius Agentis, & Ministrorum requisitionem, seù interpellationem etiā domi dimissa copia, seù in casu absentia ab Vrbe per audientiā litterarum cōtradictarum etc.* In secundo autem, ac tertio adest explicita electio Domicilij pro se, & suis Successoribus in eodem Palatio:

32 Citationes igitur rite exequutioni demandatæ fuerunt contra prædictos, & ad cautelam per Edictum in Acie Campi Floræ, & ad valuas Palatij eiusdem Ducis, tàm vigore facultatis concessæ à Bulla Pauli Quinti Congregationi Montium, quàm etiam ex speciali commissione Sanctissimi, quæ sola satis superque sufficeret *Extrauag. 1. de dolo, & contum. inter communes Clem. 1. de iudic.*

33 Decreta autem super istis citationibus emanata iustissima sunt. Primum enim 7. Septembris sub citatione ad extinguēdum, seu extinxisse docendum Montem Farnesium nūcupatum Primæ Erectionis locorum 7150. Iuxta formam Motus proprij Clementis VIII. desuper celebrati in termino eiusdem Eminentissimus D. Cardinalis Camerarius vnà cū Congregatione Montium, & Baronū decreuit, & relaxauit mandatū pro scutis 400. mill. sine præiudicio residui nisi infra quinque cum intimatione, quæ facta fuit, & iustificatum remanet ex clarissimis promissionibus in dicto Instrumento contentis.

Non obstat prorogatio obtenta à Sanctissimo D.N. de anno 1632. cum enim 34
Dux non docuerit se adimpleuisse requisita illius, tàm in curando inuestimentum pro multiplico, quàm in alijs obligationibus in Chirographo dictæ prorogationis, & Instrumento desuper confecto repetitis, nō potuit, nec potest aliquo modo se fundare in Indulto, cuius requisita minimè adimpleuit, cum per abusū amittatur Indultum, & Priuilegium *cap. 60. Priuilegium 11. quæst. 3. gloss. in §. Interdicimus verbo abutatur. Authen. vt Iudices sine quoque suffragio, et in cap. Recolentes 3. verbo censeri de stat. Monach.* Præterea narrauit Dux in vltima erectione tempus extinctionis aduenisse, quoniam transactum erat septemnium, quo elapso ei permissa erat extinctio, & illam effectualiter cæpit, ac vltima Erectione cum narratiua prædicta vsus est, ex quibus inducta est etiam voluntaria renunciatio *l. 1. & 2. ff. de iur. aur. anul. vbi gloss. verb. non retinuisse.*

Aliud Decretum emanauit die 24. dicti mensis Septembris sub citatione ad 35
docendum, se impleuisse omnia, & singula in cedulis erectionum, & obligationibus præfatis, aliàs videñ decerni, & relaxari mandatum pro extinctione omnium Montium &c. & decretū fuit mandatum iuxta petita in citatione nisi infra 15. cum intimatione &c. quæ facta fuit, & hoc pariter iustificatū apertissimè remanet ex supra deductis.

Patet igitur euidētissima decretorum prædictorum Iustitia, & tamen relationis Auctor absq. vllo fundamento ausus est eam vocare inimicam oppressionem, nil mirum, quia Reis amara sunt præcepta Iustitiæ, vt dixit Lactantius.

Digitized by Google

AD TERTIAM PARTEM RELATIONIS

RESPONSIO IVRIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMARIVM
TERTIÆ PARTIS.

Præmissa circa vtilitatem concessionis Ciuitatis Castri refelluntur num.1.

Tria capita discutienda proponuntur. Primum de delictis. Secundum de Processu. Tertium de pœnis num.2.

IN primo munitiones prohibitas esse de iure communi,& per Constitutionem Aegidianam probatur n.2.& seqq.

Opinionem Baldi exaduerso citati non subsistere,& contrariam receptiorem esse,eamque seruasse Ducem Parmæ in Castro S.Secundi ostenditur num.4.

Constitutio Aegidiana loco citato comprehendit etiam Ducem num.5.

Illicitæ fuerunt munitiones tanquam factæ ad impediendam exequutionem mandatorum n.6.& 7.

Facultas muniendi non competit Duci vigore inuestiturarum, neque Priuilegij ad instar num.8.& seq.

Et quando est concessa, semper intelligitur, dummodo non præbeat ansam seditionibus,& scandalis n.10.

Inexcusabilis est Vassallus, qui contra expressam directi, ac supremi Domini iussionem ædificat munitiones,& ædificatas destruere recusat d.n.10.& n.20.

Ad malum finem censentur facta munitiones, quibus resistunt dispositio iuris communis, Constitutionis Aegidianæ, ac expressum supremi Principis præceptum n.11.

Regula quod ea, quæ consistunt in animo,probentur iuramento, non procedit, quando in contrarium adest nedum factũ ipsum, sed etiã vbi aliqua præsumptio tantùm n.12.

Militum collectio, & retentio absque Sedis Apostolicæ licentia prohibita est ex Constitutionibus Leonis X.& Sixti V. num.13. & 14.

Adducta in contrarium reijciuntur num.15. cum plur.seqq.

IN secũdo capite circa validitatem Processus defectus intentionis non subsistit n.21.

Obiectum de possessione capta pendente termino tollitur num.22.& 23.

Exceptio loci non tuti minimè obstat num.24. & seqq.ac num.33.

Motiuum prætensæ suspicionis diluitur n.28. & duobus seqq.

IN tertio capite Excommunicationem fuisse validè, & iustè prolatam ostenditur num.31.& seqq.

Prætensæ appellationi coram honestis personis respondetur n.34.& seqq.

Excusatio sub prætextu impossibilitatis tollitur n.38.& 39.

Sententia excommunicationis etiam nulla est timenda, quando nullitas non est notoria num.40.

Item iniusta est timenda, etiamsi excommunicatus crederet, & eius Aduocati assererent,non peccasse num.41.& seqq.

Adducta ad excusandam Rebellionis pœnam non subsistunt nu 46.& 47.

Non adest præcipitãtia Domini Cameræ Auditoris in ferenda sententia n.48.

PARS TERTIA.

De iustitia,& validitate Processus, ac Sententiæ D. Auditoris Cameræ.

VT adæquatè satisfiat omnibus ab Auctore Relationis in Tertia Parte congestis. In primis considerandum est id,quod ipse de vtilitate concessionis Ciuitatis Castri in ipso initio proponit; Cũ enim Terra Tusculi (nondum erecta in Ciuitatem) concessa fuisset Lucretiæ de Ruuere, qua decedente absque filijs, prout postea decessit, reuertebatur ad Cameram Apostolicam, procurauit Petrus Aloysius Farnesius sibi cedi Iura dictæ Mulieris, quæ etiam erant litigiosa pro censu in sorte principali scutorum 400. 1

circiter, deindè Paulus Tertius titulo permutationis ei concessit pro tota descendentia Ciuitatem Castri vnà cũ Oppido Griptarum receptis pro Camera Apostolica iuribus prædictis tantùm, Vndè apparet, hoc fecisse ex mera gratia in euidentissimum Sedis Apostolicæ detrimentum, prout in valdè similibus terminis dixit *Rota diuers.decis.582.num.1.ante fin.vers.minus obstat par.1.* vbi cum lis esset super linea finita concessionis Castri Montis Portij, inita fuerat transactio cũ prætendentibus, eisq. concessum de nouo ad plures generationes, Rota censuit, esse in euidens damnum Ecclesiæ, quoniam potuisset tãtùm fieri transactio super ijs, quæ agitabantur in Iudicio, nempe super vita illorum, qui prætendebant, se esse vltimos lineæ, non autem gratuitò concedere ad plures lineas; Igitur non subsistit, concessionem Ciuitatis Castri factam fuisse pro magna Sedis Apostolicæ vtilitate, vt exaduerso perperam asseritur, maximè cum nulla adesset proportio Iurium fauore Cameræ Apostolicæ cessorum ad Ciuitatem, & Oppidum, quibus ipsa priuata remansit.

2 Ad rem tamen accedendo, vt ostendatur, Monitoria, & sententiam contra Ducem Odoardum ritè, ac rectè emanasse. Tria capita sunt discutienda. In primo videndum est de materia, super qua fundantur Monitoria, hoc est de delictis commissis per Ducem in muniendo, ac Milites coadunando, & retinendo. In secundo de validitate Processus. In tertio de pœnis in Monitorijs comminatis, & in sententia inflictis.

Circa primum deliquit Dux muniendo, quia cum Ciuitas Castri sit in limine Status Ecclesiastici (vt etiam dicitur in Inuestitura Ducis) non poterat absque Summi Pontificis supremi Domini licẽtia eam vltra solitum munire, vt per *text. in l.2.C.de fund.limitroph.lib.11.* tenuerunt *Bart.in l ex hoc iure num.7.vers.sed respondeo ff.de iustit.& iur.* vbi etiam *Ias.nu.12. Angel.in l.3.num.3 ff. ad l.Iul. Maiest. Afflict ad Constit.*Regni *lib.3.rub.29 de nouis ædificijs num. 5. limit.2.* Panormit. *cons.62. num.14.lib.2.* Padilla *in l altius num.14.C. de seruit. & aqua. Gomes. ad l. 46. Tauri num.14. Gregor.Lopez par.2.tit.18.l.1.n.2. Gail.lib.2.obser.69.num. 18. & de* Pace *publica lib. 1. c. 1. num. 42.* Petra Placentinus *Raynutij Farnesij Ducis Consiliarius in tractatu eidem Duci dicato de potest.* Princip. *c.8.num.13.Boer. decis.320.num.16. Molin.de iustit.& iure tom.3.disp.709.num.8. Aluarez in specul.* Princip. *c.47.num.33. Cabed.decis.25.num.2. par.1. Cancer.var. resol.par.3.c.13.num.14.* vbi refert, Coppinum dicentem, ita decreuisse *Senatum* Parisien. *Bellon.iun. cons.76.nu.61.& 62. Virgin.Fortia tract. de iure noua Vrbis condenda lib.1.c.3.num.18.in fine, & num.19. cum seq.* vbi quod incurrit pœnam capitis, & confiscationis Castri.

Hoc idem fortius prohibitum legitur 3
ex Constitutione Aegidiana lib.2.c.45. vbi statuitur, *quod in Castris, & Terris Romana Ecclesia constitutis, seù in* Terris, *& districtibus eiusdem nulla Vniuersitas, vel Communitas, vel specialis persona cuiuscũque conditionis, & status existat, construat, vel ædificari faciat Castra, seù fortalitia, vel munitiones, seu* Terras, *vel aliqua alia ædificia, qua communi iudicio pro defensione, vel offensione speciem, vel instar fortalitiorum habeant, vel Castrorum sub pœna confiscationis, & excommunicationis, ac interdicti,* & in fine mandatur *seruari in omnibus* Prouincijs, *Terris, & locis Romana Ecclesia*, quæ verba vniuersalia indubitanter comprehendunt Barones, & quoscũque feudatarios, vt probaui in prima parte *num.21.& seqq.*

Nec refragatur doctrina *Baldi in cons.* 4
435.lib. 5. cũ receptior sit contraria opinio, vt non liceat Baronibus etiam intra

Sta-

Statum ædificare Castra, & fortalitia, sed tantùm Principibus Superiorem non recognoscentibus, prout in terminis dixerunt *Petr. tract. de Princip. potest. d. cap. 8. sub num.* 10. vbi explicitè reprobat dictum Baldi, *& num.* 12. *Boer. decis.* 320. *num.* 6. *Bellon. iun. dicto cons.* 76. *num.* 59. *in fine, & num.* 60. *Ant. Faber. in Cod. lib.* 4 *tit. vlt. de fin.* 81. *Gratian discept.* 432. *num.* 6. *& seq. Virgin. Fortia tract. de Iure noua Vrbis condenda lib:* 1. *c* 3. *nu.* 5. *& plur. seqq.* vbi etiam *num.* 15. ex Sansouino de Illustribus Familijs Italiæ in fine refert, in familia Rubea ita seruasse Ducem Parmę, & Placentiæ in Castro S. Secundi vallato muris, & aggeribus absq. eius licentia, iussit enim Dux propugnacula dirui, & aggeres solo æquari. Nil autem magis naturali æquitati conuenit, quàm vti eodem iure, quod quis, vel eius Auctor alijs dixit, vel dici effecit, vt ait *Vulpianus in l.* 1. *ff. Quod quisque Iuris.*

5 Verùm non eget hæc materia huiusmodi regulis, cum versemur in casu limitationum, & vlterius extet prædicta Constitutio Aegidiana, quæ (vt dixi) in omnibus Prouincijs Romanæ Ecclesiæ seruari debet à quibuscunque Personis cuiusuis gradus, & conditionis, vt sunt verba clara, & notum est, similes leges in Gallia, Hispania, & alibi etiam fuisse particulariter conditas, itaut hæsitari nequeat de euidenti iustitia ex causa publicæ securitatis indè prouenientis. Neque iudicandum est de hoc capite Constitutionis, prout de alijs circa contractus Minorum, & appellationes in possessorio, quæ nihil disponunt de alijs Prouincijs, & sic extensio Pauli Tertij restricta ad Statum immediatum non restringit caput, de quo agitur, vbi disponitur, seruandum esse in omnibus Prouincijs, & comprehendit etiam ipsos Barones, quibus magis adaptatur huiusmodi prohibitio, quàm cæteris immediatè subiectis. Immo cum verba dictæ Constitutionis dirigantur in personas, & ipsi Barones sint immediatè subiecti Summo Pontifici, sequitur, vt non intret distinctio immediati, vel mediati Status, sed ipsos Barones liget omninò prædicta Constitutio, vt benè ponderauit *Rota in Romana de Comitibus coram Oradino, impressa per Pacific. post tract de Saluian decis.* 233. *n.* 2. *iuxta Modern. impress.* relata etiam per *Contard. de moment. possess. tit. de Aegid. q.* 6. *num.* 2. *cum seq. & per Maresc. var. resol. lib.* 2. *cap.* 75. *num.* 36.

Ex abbundanti cessantibus etiam prędictis excusari non possunt munitiones 6
huiusmodi, cum euidenter factæ fuerint ad æmulationem, & scandalosè, vt nempe impediretur exequutio mandatorum, pro quibus decernẽdis instabatur coram D. Cardinali Camerario, & Congregationibus Montium, & Baronum, ideo applicatur conclusio, quod non est licita Castri munitio, quando fit ad æmulationem, vel indè suspicari potest seditio, vel aliud malum *text. est in l. opus nouum C. de fund. limitroph. lib.* 11. *Bart. in l. ex hoc iure num.* 7. *ad med. vers. quod est verum ff. de iustit. & iure vbi Addentes* dicunt, procedere etiamsi inducāt solam suspicionem seditionis *Bald. num.* 36. *& Ias. num.* 7. *& seqq. Isern. ad Constit. Regni lib.* 3. *rubr.* 29. *de nou. ædific. ante fin. vers. vbi autem daretur materia scandali, & Afflict. nu.* 5. *limit.* 1. *Natt. cons.* 576. *num.* 17. *Petr. tract. de potest. Princip. d. cap.* 8. *num.* 10. *in fin. & num.* 11. vbi de receptiori testatur *Bartholomæus de Bosco cons.* 145. *num.* 1. *&* 2. *Gregor. Lopez partit.* 2. *tit.* 18. *l.* 1. *num.* 2. *Aluarez in specul. Princip. cap.* 47. *num.* 33. vbi ait, procedere, si fiat ad æmulationem, vel scandalũ indè sequi posset *Auendan. de exequen. mand. Regijs par.* 2. *num.* 1. *circa med.* vbi quando timeri posset scandalum, puta quia fit contra solitum *Gomes. ad l.* 46. *Tauri num.* 14. *antè med. vers. dum tamen*

Boer.

Digitized by Google

*Boer.decis.*320.*num.*8. *&* 9.*Gail. d.lib.*2. *obseru.*69.*num.* 17.*& seq. Molin. de iustit. & iure tom.* 3. *disput.* 709.*num.*8.*vers. de iure tamen Cancer.var. resol.par.* 3. *cap.*13. *num.* 5.*&* 6. *Gratian.discept.*432.*num.*10. *Viuius decis.*493.*num.*2.*&* 3.*Io.Heringius in Mantissa post tract. de Molendinis tit. de Castris, eorumque Iure cap.*1. *num.* 108.*& seqq. Virgin. Fortia de iure noua Vrbis condenda lib.*1.*cap.*3.*num.*23. Quam conclusionem admittit etiam *Bald. in exaduerso citat. cons.*435.*sub num.* 1. *lib.* 5. subiungens, in casu suo cessare rationem æmulationis.

7 Ex quibus patet, non obstare dictum P*anormit.in c.Pisanis sub num.* 15. *de restit. spol.* quoniam loquitur, quando Princeps non recognoscens Superiorem ædificat in suo proprio, non autem quando Baro ædificat in loco Baronali subiecto Iurisdictioni supremi Principis, & ita in specie declarant *Gail. d. lib.* 2. *obseru.* 69. *num.*32.*& Virgin. Fortia dicto lib.*1.*cap.*3. *num.*25.*& seqq.*

Non obstat, Ducem Castri habere ta-
8 lem muniendi facultatem in Inuestituris, quoniam illarum verba recipiunt interpretationem à iure, vt non censeatur concessa tanquã in loco limitropho absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, quoties opus fuerit, etenim in Inuestitura Ciuitatis Castri narratur esse absque muris, & Arce, sed in situ à natura munito, ideò ne ab aliquibus occupetur, cogitatum fuit ei prouidere de aliquo non minus strenuo, quàm etiam facultatibus potente, & idoneo Viro, qui valeat eam custodire, seruare, promptèq. defendere ab omni occupatione, & necessitatibus Populi subuenire, idcirco concessa fuit Petro Aloysio Farnesio, qui etiã alia loca, & Oppida in feudum tenebat, & propter vicinitatem sui Status magis commodè huiusmodi necessitatibus prouidere poterat &c. sed hæc præstantur custodiendo, seruando, promptèq. defendendo, non autem pernecessè ex hoc infertur, datam esse facultatem ædificandi munitiones, & propugnacula sine licentia Sũmi Pontificis, verba enim Inuestituræ interpretantur, vt minus censeatur alteratum ius commune, quàm fieri possit *Franc.Becc. cons.*101. *num.* 24. *Surd. cons.* 243.*num.*25. Sic etiam ad Inuestituram Montis Alti responsio patet ex verbis in Relatione insertis *num.* 2. quæ restricta sunt ad defensionem dicti Oppidi à Corsorum, Piratarum, ac Infidelium insultibus, & depredationibus, de quibus nulla penitus excogitari poterat suspicio tẽpore munitionum, & introductionis, ac retentionis Militum, de quibus agitur.

Minus releuat assertum Priuilegium 9
adinstar in erectione Ducatus Castri vtẽdi, & gaudendi facultatibus, & prærogatiuis alijs Ducibus competentibus. Primò quia in communicatione Priuilegiorum non continentur extraordinaria, & insolita, sed tantùm ordinaria, etiã quando verba sunt valdè ampla, & vniuersalia, vt dixit R*ota diuers. decis.* 55. *num.*14. *par.*2.*& in recent. decis.* 214. *num.* 5. *par.*2. *cum alijs per me adductis in* R*esponsione ad primam* P*artem* R*elationis nu.*31. Secundo quia ex decreto Consistoriali post Erectionem Ducatus Castri emanato, & per Cardinalem Alexandrum Farnesium tũc S. R. E. Vice Cancellarium subscripto apertis verbis Duces Castri æquiparati fuerunt alijs Baronibus, & Domicellis Romanis in Districtu Vrbis constitutis, & proinde nullo modo prætendi potest, Ducibus Castri competere maiores facultates, quàm haberent, & habeant cæteri Barones Romani stante limitatione, ac æquiparatione prædicta, prout etiam deduxi in dicta Responsione ad primam Partem *num.*32. *&* 37.

Vlterius exabbundanti etiam quando concessa est huiusmodi facultas, semper

tamen

Digitized by Google

tamen intelligitur, dummodo non præbeat ansam seditionibus, & scandalis, prout in terminis ponderauit *Viu. dicta decis.493.num.3. vers. qua quidem conclusio & num.4.* Et in fortioribus quod Princeps possit instare, vt Castrorum munitiones diruantur, quando scandalum, vel aliud malum timeri potest, etiamsi iustè fuissent ædificatæ, ac in feudum concessæ dixerunt *Isern. ad Constit. Regni lib. 3. rubr.29.de nouis ædific.ad fin.& Afflict.n 4. in fin.& num. 5.limit.4.Io.Franc. à Ponte de potest.Proreg.tit 3.§.1.num.26.& 27.* Vndè quatenus etiam Dux prætensam muniendi facultatem habuisset, prout verè non habuit, nec habet, adhuc tamen inexcusabilis esset, dum noluit obedire Monitorijs contra eum de expressa Summi Pontificis eius supremi Domini commissione exequutis ob iustum scandali, ac æmulationis timorem. Eò magis quia Inuestitura prædicta concessa fuit tempore, quo in confinibus Status Ecclesiastici ob tumultus tunc vigentes Reipublicæ Senensis omnia erant timore plena, & ideo intrat alia conclusio, vt dispositæ ex causa Belli iustè à Principe reuocentur tempore Pacis secundum *Bald. in §. hoc quod Nos num.3 vers.cassentur tit. de pace constantia Tiber. Decian. cons.35. num.36. lib.2.*

11 Ex prædictis etiam patet, non applicari id, quod exaduerso dicitur, munitiones potuisse intelligi factas ad bonum finem, cum enim prohibitæ essent tàm de Iure communi, quàm ex Constitutionibus præfatis, & quia non fuit præstita obedientia Sanctissimo expresse mandáti eas demoliri, sequitur, vt ex prædictis capitibus (quorum vnum sufficeret) præsumantur factæ ad malum finem, & sit locus priuationi feudi, cæterisque pœnis in Monitorijs contentis, prout in similibus terminis benè comprobat *Ant. Quetta cons.7.num.35.cum duobus seqq.*& signáter adducit *Afflictum in §. porro tit. quæ fuit prima causa benef. amittendi.* Concordant *Menoch.cons.102. nu.37. Rosental. de feud. cap.10 conclus.12.num. .& seqq. latè Carol.Bardellon.cons.101.nu.57.& seqq.lib.1.* Et quod præsumatur æmulatio, quando munitio aliàs non erat necessaria, dixerunt in terminis exaduerso allegati nempè *Roman. cons.52. ad fin. Boer. decis. 320. numer.8. ad fin. vers 3.principaliter, quibus* addi potest *Petr. de potest. Princ. dicto cap.8. sub num.11.*

Regula autem exeduerso exaggerata, quod ea, quæ in animo consistunt, probentur iuramento, non applicatur, quando in cõtrarium adest aliqua præsumptio, prout declarant *Bart.in l.inter omnes 47.§. rectè num.3. vers. tamen breuius ff. de furtis Alex.cons.118.num.11.lib.2. Menoch.cons. 354.num.10 & seq.* Sed in casu nostro vltra prædicta res ipsa loquitur, & tàm ex antecedentibus, & subsequutis, quàm ex omnibus facti circumstantijs clarè, & euidenter apparet malus animus Ducis, ideo latius non prosequor, maximè cum ex supradictis auctoritatibus pateat, ad istum effectum sufficere solam scandali, æmulationis suspicionem. 12

Sic etiam euidentissimum delictum fuit transmissio Militum forensium ad Castri Ducatum, ac eorum, & aliorum admissio, & retentio prohibita nedum ex supradictis, verùm etiam ex Constitutione Leonis X. in ordine 13.§.8. vbi mandauit *omnibus mediatè, vel immediatè subiectis etiam Cardinalibus, aut quauis alia Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, ne aliquas gentes armigeras præterquam ad stipendia Sanctæ Sedis Militantes quouis quæsito colore absque speciali Papæ licentia admittant, vel retineant sub pœna excommunicationis reseruatæ, ac deuolutione feudorum, & emphiteuticorum*, ac aliorum etiam in dicta Constitutione expressorum: 13

14 Idem cauetur in Constitutione Sixti V. quæ est in ordine 75. vbi *prohibet Ducibus, Principibus, & Baronibus quacumque etiam Ecclesiastica dignitate fulgentibus locorum mediatè, vel immediatè subiectorum, ne propter causas recuperandæ, adipiscendæ, vel manutenendæ possessionis, vel alias etiam vrgentiores, vel vrgentissimas causas etiam consuetudine permissas etiam ab alijs pro vocatis, vel alio quouis prætextu, aut quæsito colore, vel ingenio, ne Militum copias cogere, comparare, vel ducere, neue Populos publicè, aut priuatim, palam, vel occultè ad arma conuocare, aut per se, vel per alios moliri, aut machinari audeant, vel præsumant sub pœna rebellionis, confiscationis, & priuationis feudorum etiam inpræiudicium Successorum.*

Non obstant Responsiones exaduerso
15 adductæ. Prima enim quod Dux Castri æquiparetur Ducibus maioribus, & non comprehendatur in generali dispositione, corruit ex adductis per me in prima parte *num.22. cum pluribus seqq. & supra in hac parte num.9.* Ideoq. non est circa hoc immorandum.

16 Secunda quod in dicta Constitutione adsit limitatio quòad littora maris cessat ex facto, cum Ciuitas Castri non sit in littore maris, à quo distat per decem milliaria, & littus maris dicitur quousq. hibernus fluctus maximus excurrit §. *flumina Instit.de rer.diuis. l. Littus 96. & l. littus 112 ff.de verb.signific.*

17 Tertia quod Bulla prędicta non prohibeat coadunationem armatorum pro defensione possessionis pacificæ ex *Farin. in addit.ad quæst.113.num.148.& num.153. num.160. & num.170. atque in cons.65. num.68. & seqq.* nullo modo subsistit, & doctrina Farinaccij reprobata fuit à bon. mem.D. Spada Fisci, & Cameræ Apostolicę Aduocato in consilio pro veritate reddito, & impresso inter *cons. eiusdem Farin.lib.3.cons.229.* & Paulus Papa V. ita declarauit per suam particularem Constitutionem, quæ impressa est per Cherubinum in compendio Bullarij post supradictam bullam 75. Sixti V. & certè verba dictæ bullæ supra relata sunt clara, nã alternatiua vel alias etiam vrgentiores, vel vrgentissimas causas operatur, ac si oratio separata, & constitutio distinctè promulgata esset in quolibet ex alternatis *Ancar. cons.80. sub numer.2. Montesperell. cons.298.num 4. Alciat.cons.5.nu.16. lib.2. Rot.in recent.decis.329.num.16.& 17.p.6.* Maximè ponderando illam dictionem ampliatiuam, etiam, quæ ampliat ad ea, quæ non comprehenduntur in præcedẽtibus *Gemin.cons.65.num.8. Dec.cons.542. nu.7. ante fin. Rot.coram Cardinali Mantic. decis.342.num.2. & in recent. decis.721. num.7.par.2.*

Nec subsistit, Clementem VIII. ap- 18
probasse contrarium, prout asseritur in additione ad *cons.Farin.65.* nam (vt benè respondit Spada *dicto cons.229. numer.31 vers. tandem non obstat &c.*) factum non correspondet verbis, quoniam ex gratia illi delinquentes admissi fuerunt ad compositionem, non autem absoluti fuere ex iustitia, prout factum esset, si fundamenta consilij Farinaccij visa fuissent iusta.

Quarta respõsio quod Bulla Sixti ema- 19
nauerit post concessionem Ducatus Castri, ideoque non præiudicet Duci, facillimè corruit ex deductis supra in prima parte *num.44. & seq.* vbi ostensum est, posse Principem supremum per viam legis generalis præiudicare etiam Inuestituris. Sed nec applicatur in facto, quia non subsistit, concessam fuisse Duci facultatem muniendi, vt supra probatum est, nec minus habet facultatem conuocandi tot homines armatos, maxime tẽpore pacis, aliud est enim custodire, aliud ad arma turbam conuocare præter solitũ, vt de se patet, ideo nullo pacto applicantur

tur

Digitized by Google

tur ea, quæ circa huiusmodi responsionē exaduerso exaggerantur.

20 Aduertendum est etiam, Relationis Auctorem num. 21. ponere conclusionē, quod oriente controuersia inter Dominum directum, & vtilem circa modum custodiendi, semper præferatur respectus Domini vtilis allegando, seu potius coaceruando *Bald. in l. 1 quæst. 43. ff. de rer. diuis. & alios*, qui hoc nō dicunt, sed Bald. loquitur de primis causis, quas non debet Dominus directus cognoscere in præiudicium Baronis, cui sunt concessæ, & alij etiam loquuntur in longè diuersis terminis, vt ex eorum lectura patet; At circa custodiam, & propugnacula Castrorum certum est, militare diuersam rationem, & posse Dominum directum instare, vt demoliantur, etiamsi legitimè ædificata fuissent, si inde scandalum, aut æmulationem suspicatur, vt ex Isern. & alijs supra comprobaui num. 10. Necnon potest Princeps supremus munire, & custodire Castrum etiam inuito Vassallo, cui reperitur concessum, quia debet esse securus de sua proprietate, & dominio directo, vt inquit *Bald. in §. quid ergo n. 3. verſ. extra nota tit. de Inuestitura de re aliena facta*, quem sequuntur cæteri congesti per *Tiber. Decian. consſ. 35. numer. 34. & seqq. lib. 2. Petra de potestat. Princip. cap. 8. nu. 17. Aluarez in speculo Principum cap. 47. num. 32. Mastrill. de Magistr. lib. 4. cap. 16. num. 176. & seqq. Io. Franc. à Ponte de potestat. Proregis tit. 3. §. 1. num. 25. & seqq.*

21 Secundum caput de validitate processus; Opponitur exaduerso de defectu intentionis Sanctissimi D. N. ex quo non præsumatur voluisse tollere ius quæsitū Duci circa facultatem muniendi, & coadunandi Milites, sed nullo pacto subsistere ex supradictis apparet, Ideoque frustra allegatur Regula de Iure quæsito nō tollendo. Et notum est Vrbi, & Orbi indefessa Sanctissimi D. N. natura, & assidua negocijs publicis assistentia cum particulari attentione, & ex responsionibus datis ijs, qui tentarunt eum alloqui de huiusmodi materia, potuit, & potest Dux apertè colligere, eum non fuisse ab ab aliquo seductum, & ex se rectè cognouisse, & cognoscere ipsius Ducis delictorum grauitatem. Neque vllus conqueri debet, si Princeps supremus nolit audire orantes pro Rebellibus, & criminis læsæ Maiestatis Reis, quia text. *in l. quisquis §. denique C. ad l. Iul. Maiest.* inquit *Denique iubemus etiam eos notabiles esse sine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint*, & ibi scribentes notant, nō licere supplicare Papæ, aut alteri supremo Principi pro huiusmodi Reis, & signanter *Angel. sub num. 5. verſ. nota contra supplicantes Papæ cum alijs adductis per Gig. tract. de crimin. læsæ Maiestat lib. 3. quæst. 9. incip. an licitum sit supplicare Papæ*. Immo *Tiber. Decian. consſ. 18. num. 137. & seqq. lib. 1. ait*, non obstare delinquentem in casu suo nixum esse probare se voluisse recurrere ad Cæsarem, & tamen non potuisse audientiam obtinere, cum id in facto non probaretur, & non constaret quid à Cæsare tunc prętendebat impetrare, & etiamsi audientiam denegasset, præsumeretur ex iusta, & legitima causa id fecisse.

Obijcitur etiam, quod pendente termino quindecim dierum capta fuerit possessio Status Castri, sed respondetur, dilationem prædictam fuisse concessam cum clausula præseruatiua absque retardatione processus sine præiudicio quorumcumque iurium Fisco, & Cameræ Apostolicæ acquisitorum, ac facultatis reuocandi omnia, & singula, quæ de facto reuocanda viderentur & omni meliori modo iuxta formam commissionis desuper expeditæ, Ideò legitimè capta fuit possessio intra terminum prædictum in monitorio assignatum, vt in specie de- 22

cla-

Digitized by Google

clarant *Seuerol.de remissor.cap.27.circa fin. vers.Sed & si Iudex*, vbi quod ita seruat Rota, quando adest aliqua suspicio calumniæ *Lancellott.de attentat.cap.7.nu 29. in fin.cum duobus seqq. Rota in recent. decis. 582.num.3.par.1. ac decis.334. num.3. & seqq.par.5.* Et ita etiam seruari in causis criminalibus attestatur *Farin. quæst. 39. num.11.et 12.*

23 Præterea possessio capta fuit in exequutionē mādatorum in causa ciuili iam relaxatorum, quorū termini longè prius expirauerant, vndè capi potuit non obstante dilatione pendente in causa criminali tanquam causa diuersa, vt aduerterunt *Rot.apud.Aegid.decis.324. & Lancell. de attent. d.c.7. num.25.*

24 Adducitur quoque exceptio loci non tuti, ex quo citatus fuit Dux ad personaliter comparendum, & expurgandum se à delictis prædictis, sed euidentissima apparet eius calumnia tam ex facto (vt ostēsum est in Responsione facti, in qua particulariter omnibus per Relatorem deductis satisfactum fuit) quàm etiam de iure, sicut in terminis pro Raynutio Duce Parmæ, & Placentiæ scribens contra Comitem Albertum Scottum, & eius vxorem, quos cogere voluit contra Camerā Ducalem in Ciuitate Placentię comparere sub pœna capitis, & confiscationis inflictæ ex causa habitationis extra statum, eiusque Procurator fuerat ante Palatium Ducis baculo verberatus, ostendit *Bellon. Iun.cons.5.num.109.cum plurimus seqq.* & præcipuè duas reassumam responsiones ab eo datas. Prima est, quia concessus fuit per Sanctissimum D.N. Duci saluus conductus in amplissima forma, vndè non poterat excusari exceptione loci non tuti, cum habens saluum conductum à Principe, non possit ab aliquo offendi, aliàs incurratur crimen læsæ Maiestatis, vt benè, ac latè comprobando responderunt etiam in terminis *Menoch. consil. 100. num.196. & plur.seqq. & num.209. Tiber. Decian.cons.18.num.108.et seqq.et nu.128. lib.1.Cephal.cons 304.num.104. et iterum Menoch. cons.466. num.29. vers.respondetur 4.*

Non obstant Doctores exaduerso citati dicentes, non esse fidendum in saluo conductu stante inimicitia capitali. Tum quia in casu nostro nulla aderat, nec adest inimicitia, & causæ exaduerso allegatæ, vltra quod in facto ostenditur, eas non subsistere, numquam iudicari possent aptæ ad capitalem inimicitiam inducendam ad istum effectum requisitam. Tum etiam quia Doctores prædicti nō loquūtur de saluo conductu dato à Principe supremo, cuius Maiestas læditur, dum offenditur is, qui habet saluum cōductum ab ipso, vt rectè ponderarunt *Menoch.dicto cons.100.num.209. Tiber. Decian. dicto cons.18. num.128.* qui in specie reprobarunt *Rolandum exaduerso adductum cons. 68.lib.2.* scribendo contra ipsum in eadē causa, & *Menoch. num.212. in fin. et seqq.* ostendit, Auctoritates cōtrarias procedere, quando saluus conductus conceditur ab ipso capitali inimico, non autem quādo conceditur à Principe, vel etiam à Iudice, cum quo non extat capitalis inimicitia. 25

26 Sed omittere nō possum, quin aduertam, Io. Iacobum de Leonardis exaduerso citatū inter consilia *Alberti Bruni cons. 114.* scripsisse pro defensione Herculis de Varano contra Petrum Aloysium Farnesium, qui tempore Pauli Tertij causam super priuatione Status Camerini fecit & *num. 387. et seqq.* dixit, præcessisse minas Papæ de puniendo, & priuando Herculem Statu prædicto, & alia vrgentia, quæ deficiunt in casu nostro, & ideo si huiusmodi exceptionē Maiores Ducis Odoardi attendere noluerunt, vt dicti Ducatus Camerini Inuestituram consequerentur, multo minus attendēda erat à Sanctissimo

mo

Digitized by Google

mo D.N. in hoc casu ad hoc vt Cameram Apostolica posset Ducatus Castri possessionem assequi, & se defendere aduersus illicitas munitiones, Militumq. Collectas ad impediendam iustitiæ exequutionem ibi factas.

27 Altera responsio est etiá euidens, quia tenebatur Dux Odoardus mittere Procuratorem, vel Excusatorem ad allegandũ, & probandum, locum non esse tutum, vt pluribus comprobat *Bellon. iun. d. conf. 5. nu. 128. in fin & seqq. Menoch. d. conf. 100. num. 199. cum pluribus seqq. & conf. 466. num. 26. vers. respondetur tertio, & seqq.* Paris. *conf. 1. num. 56. lib. 1.* qui loquitur in terminis Procuratoris Feudatarij *Tiber. Decian. d. conf. 18. num 139. lib. 1.* Quæ responsio eò magis clarè concludit in casu nostro, quoniam Mõguidus assertus Ducis Minister, & alij ad eumdem Ducem relationem habentes à nullo fuerunt vnquam offensi, nec aliqua molestia affecti, & signanter Mangellus dicti Ducis Procurator à nemine fuit impeditus, nec molestatus, quin pro eo compareret, & actus gereret etiam post latam sentẽtiam super Rebellione, itaut indè manifestissimè pateat, prætensas allegationes inimicitiæ, ac loci non tuti esse imaginarias Relatoris exaggerationes à veritate omnino alienas, vt benè per Tiber. *Decian. d. conf. 18. nu. 143. lib. 1.* vbi etiam in persona Rebellis ait, non posse allegare locum non tutum, quia eius consanguinei, & affines commorabantur in dicto loco absque eo quod ab aliquo molestarentur. Et quamuis in tertio Monitorio requisitus esset Dux ad personaliter comparendum, nõ autem per Procuratorem, seu Excusatorem, attamen hoc fuit dictũ respectu defensionis causæ principalis, sed non respectu allegationis loci non tuti, quæ fieri potest per Procuratorem, siue Excusatorem etiam in casibus, in quibus isti reijciuntur, prout optimè declarat *Menoch. dicto conf. 100. num 205. versic. præterea.* Et quod admittatur Procurator ad allegandum locum nõ tutum etiam in casibus, in quibus citatus non potest comparere per Procuratorem, tradunt *Boss. in praxi tit. an in criminalibus iudicijs num. 12: Clar. in § fin. quæst. 32. n. 18. Peregrin. Ioanninus de cit. reali lib. 3. cap. 21. num. 14.* Et de statuto prohibente admitti Excusatorem quod intelligatur si alleget causas defensionis delicti principalis, non autem ad excusandum allegando causas absentię, & non comparitionis *Socin. in cap. veniens num. 161. de accusat. & alij congesti per Farinac. quæst. 99. sub num. 289.*

Demum latè exaggeratur exaduerso suspicio ob prætensas inimicitias cum DD. Fratribus Barberinis. Verùm huiusmodi inimicitiæ fuerunt à scribente pro Duce post hanc iustissimam litem figuratæ, & ad animum reuocatæ, sed ob morum disciplinam, & iustitiæ administrationem timeri laudabile dicitur à *Bald. in rubric. ff. quod met. caus. in princ.* & exornat Tiber. *Decian. dicto conf. 18. num. 133. lib. 1.* Cæterùm quæ ante huiusmodi litem allegantur pro causa inimicitiæ in facto minimè subsistere fuit in responsione facti plenissimè ostensum, & sunt causæ leuissimæ, ex quibus indecens est suspicari capitalem inimicitiam ad effectum, vt influat in Iudices Status, prout requiritur secundum *Menoch. d. conf. 466. num. 26. vers. non obstat tertium, & nu. 29. vers. non obstat vltimum &c.* vel saltem debent esse legitimæ, probabiles, & non friuolæ, vt per *Bursatt. conf. 265. num 27. & 28.* Et quia exaduerso asseritur, DD. Cardinales Barberinos quæsiuisse occasiones, vt præiudicia notabilia Duci inferrent, procurando etiam claudi aditum ad Sanctissimum, erant quoque probandæ istæ qualitates adinuentæ ad exaggerandum, quæ cum essent euidenter ca- 28

Digitized by Google

lumniosæ, totam allegationem annullabant, nam allegans Iudicem suspectum ex aliqua causa qualificata probare debet non solũ causam, sed etiam qualitatem, aliàs probatio non releuat, vt latè, ac benè comprobat *Io. Baptista Larea decis. Granaten. 48. num. 20. & per totam*.

29 Respondetur etiam, talem suspicionem non fuisse allegatam in actis, prout de iure requiritur, cum tale quid in eis non legatur, & quod exaduerso asseritur, datam fuisse quamdam scripturam super prætensa suspicione vnà cum memoriali Eminentiss. Domino Cardinali Raggio tunc Auditori Cameræ, est merum figmentum dicti Relatoris, prout verbo, scriptoque attestatus est, & attestatur idem D. Cardinalis; Et vlterius eo modo, quo exaduerso narratur, patet non fuisse actum iudicialem, sicuti requiritur *l. fin. C. de iud.* ibi, *& hoc facere in actis manifestum*, & latè probauit *Rot. in recent. decis. 20. num. 25. & seqq. par. 6.* vbi fuerat allegatus suspectus Iudex remissorialis, ex quo erat subditus Ducis Lotharingiæ, & lis agebatur contra Cardinalem eius fratrem, Rota dixit, nulliter fuisse allegatũ suspectum, quia non fuit coram Iudice remissoriali in actis facta allegatio, nec appellatum ab vlteriori Processu dando cedulam appellationis, prout requirebatur, & explicant *Lancellot. de attentat. c. 6. num. 75. Rota diuers. decis. 563. sub num. 2. par. 1. & in Mediolanen. rescissionis contractus 14. Decembris 1601. coram Cardinali Sacrato*.

30 Nec ad rem faciunt *Alciat. cons. 2. n. 26. lib. 3. & Surd. cons. 50. nu. 28.* dicunt enim, quod si Papa est suspectus, debet de honestate causam alijs committere, non autem per se ipsum cognoscere, licèt ad hoc de rigore non cogatur, sed non dicunt, quod teneatur committere extra Statum Ecclesiasticum, vt exaduerso gratis adiungitur, *Ferrett. autem cons. 31. num. 28.* nil dicit ad hanc conclusionem pertinens.

Tertium caput de pœnis in Monitorijs comminatis, & in sententia inflictis, 31
Circa excommunicationem à Relatore repetuntur multa ex supra deductis quòad Processum, ideò semel refutata fuisse sufficiat. Non enim subsistit primum de defectu intentionis, vt supra ostensum est *num. 21.*

Nec secundum de prætenso actu licito, quoniam fecisse actum illicitum, & 32
prohibitum pariter supra probatum est. Quod verò exaduerso subiungitur, Ecclesiam non iudicare de occultis, sicuti prætenditur, esse animum Ducis, euidẽter tollitur, nam huiusmodi obiectum procedit, quando actus est merè internus, ac omninò separatus ab exteriori actu, secus autem quando (vt in hoc casu) exterius aliquid geritur, tunc enim sicut exterior actus est subditus iudicio Ecclesiæ, ita etiam interior illi subiacet, Ideoq. si actus exterior vel est per se malus, prout esse actus per Ducem gestos supra perspicuè demonstratum est, vel potest ex eis præsumi malitia ratione temporis, aut aliarum circumstantiarum, potest quis etiam propter internam malitiam excommunicari, vt benè explicant *Sanchez ad decalog. lib. 2. cap. 8. num. 13. in fine. Duard. ad Bullam Cœnæ lib. 2. can. 1. quæst. 24. num. 15. in fine*, & omnes exaduerso citati sunt ita intelligendi, cum loquantur de actu merè interno, qualis dici non potest, quando per aliquod signũ manifestatur, vt benè explicat *Reginald. in summa lib. 9. num. 158.* & concordat *Sayr lib. 1. cap. 9. num. 14.*

Sic etiam tertium de defectu citationis ad locum tutum facilè corruit ex supra deductis *num. 24. & seqq.* cum sit Relatoris figmentum ad eludendam iustitiæ administrationem perperam adinuentum.

Quar-

Digitized by Google

33 Quartum de allegatione prætensæ suspicionis pariter sublatum fuit supra *num.29.& seq.* At ex dictis exaduerso notandum est, Relatorem affirmare, Ducem in Curia habuisse etiam Monguidũ vti suum Ministrum, qui de ordine eiusdem discesserit sub prætextu, quod suspicaretur se posse puniri ob recusationem allegatam. Sed si præsens erat Minister, cur Relator superiùs toties inculcauit nullas fuisse citationes? nullumq. fuisse legitimè citatum? cur habuit causam timendi huiusmodi punitionem iniustã, si alij ipsius Ministri non timuerunt iustam punitionem, quando in Vigilia Sãctorum Apostolorum Petri, & Pauli declarata iam Rebellione Ducis comparuerunt ad persoluendum censum? Et tamen nullus eis aliquam molestiam intulit, quæ licita fuisset, etiam ex iuris communis dispositione in *l. quisquis §. denique C. ad l. Iul. Maiestatis supra aliàs adducta*. Non potest timor esse causa istorum actuum, vt nempè timeatur iniustitia, & contemnatur iustitia, sed adæquata causa est contumacia, quę operatur, vt iustitia contemnatur nõ parendo, & eludatur non comparendo *c. de causis 4. §. illis etiam de offic. deleg.* & efficit, vt quis negligat adesse quando requiritur, & curet adesse extra tempus *c. si quis autem dist. 18.*

34 Appellatio coram honestis Personis exaduerso prætensa, quatenus subsisteret in facto, non releuaret in Iure, tanquam omnino calumniosa, cum causa commissa fuerit quacumque appellatione, reclamatione, & recursu remotis, ideo non poterat appellari *cap. Pastoralis 53. de appellat. Soccin. in cap. nulli num. 40. de sentent. excomm. Vgolin. de censuris tab. 1. cap 13. §. 18. nu. 13. vers. 2. loco fol. mihi 172. Sayr. lib. 1. cap. 16. n. 27.* P. *Diana resol. moral. par. 5. tract. 9. resol. 30. ad fin. Hurtado de censuris in cõmuni difficult. 25. n. 106.*

Verùm & in casibus, in quibus permissa est appellatio, adhoc vt illa interponi possit coram honestis viris iuxta *tex. in c. fin. de appell.* requiritur, vt appellans faciat diligentiam coram Iudice pro admissione appellationis, ibi, *dummodo coram Iudice, à quo appellare volueras, vel si habere illius copiam requisiuisti in præsentia bonorum virorum &c. vbi glos.* notat ex ordine litteræ, tunc demum licere coram alio protestari, cum Iudicem illum habere non potest *Anan. nu. 2.* vbi quod licèt metus excuset ab appellatione, non tamen excusat à protestatione coram Iudice facienda *Prapos. num. 5.* vbi quod ante omnia requirere debet Iudicis præsentiam, concordant *Franc. nu. 3. & alij congesti per Scacc. de appellat. quæst. 6. num. 29. Gratian. discept. 10. num. 4.* Immo non sufficit semel coram eo instare pro admissione, sed requiritur, vt pluries instet cũ importunitate vt inquit *Dec. dicto cap. fin. num. 20. vers. Immo non sufficit.* 35

36 Nec est credendum Parti de prætenso iusto metu, sed debet probari, solere violentiam inferri per Iudicem, qui forsan in consuetudine deduxit omnes Appellantes ab eo indifferenter capi, & carcerari, ac malè tractari facere; vt ait *Hostien. in dicto cap. fin num. 3. vers. sed nec credendum Io. Andr. num. 1. vers. metus, & num. 3. Zabarel. nu. 4. Bellamer. num. 2. Prapos. num. 6. ad med Imol. num. 10. Franc. num. 5. Panormit. num. 4.* & idem dixit *Bart. in l. de pupillo §. si quis ipsi Pratori n. 14. ff. de nou. oper. nunciat.* Immo nec sufficeret probare, semel tantùm incarcerasse aliquem Appellantem, sed requiritur saltem binus actus, vt benè admonent *Bart. in d. §. si quis num. 15. Franc. in d. cap. fin. num. 6. Panormit. num. 4. vers. nunquid autem. Dec. num. 22. vers. non tamen sufficit.*

37 Sed hæc omnia deficiunt in casu nostro, nam quæ diligentia potest prætendi

Digitized by Google

difacta, si Dux Procuratores reuocauit, & iussit, assertum suum Ministrum discedere à Curia, & si Procurator Ducis post declaratam Rebellionem censum obtulit in plena Camera, & quidem impunè, & absque vlla etiam verbali iniuria, aut molestia, quis credet vnquam, non potuisse instare pro admissione appellationis coram solo Cameræ Auditore? maximè quia in Curia non est necesse dare cedulam appellationis corã ipsomet Iudice, sed dimittitur penes Notariũ in actis, vt refert *Marchesan.par.2.de commiß. super desert. caus.* §.1.*num.* 85.*fol.* 77. Et quis vnquam somniare potuit, DD. fratres Barberinos malè tractasse aliquẽ Appellantem, vel eius Procuratorem?

38 Quintum obiectum de impoßibilitate parendi, eo quia possessio Status Castri capta fuerit ab Exercitu Ecclesiastico durante dilatione, constat ex supradictis non releuare, quia dilatio data fuit cum expressa protestatione præseruatiua facultatis etiam ea durante procedendi ad vlteriora, & de facto reuocandi omnia, quæ reuocanda viderentur, vt supra deductum est *num.*22.*et seq.*

39 Accedat, quod impossibilitas superueniens durante termino non excusat ab incursu censurarũ, si in principio termini præuidere poterat superuenturam impotentiam, tunc enim monitus tenetur anticipare, vt optimè aduerterunt Bonacin. *de censuris in communi disput.* 1. *quæst.* 3 *punct.* 3. *num.* 1. *vers. maior difficultas fol. mihi* 28. & *Filiuc. tract.* 11. *nu.* 242. & 243. Sed in casu nostro poterat Dux credere, Summum Pontificem non toleraturum in spretum eius dominij directi, & suarum iussionum attentata tam euidentia; Ideo statim debebat parere, & hoc debebant eius Officiales ei suadere, non autem vt induraret cor suum.

40 Ex supradictis satis constat, sentẽtiam esse notoriè validam, & iustam, ideoque opus non esse responsione cæteris ex aduerso cumulatis, sed quia Relator conclusiones multas in hac materia contorquet, eisque abutitur, breuiter aliquas perpendam. Dicit enim, sententiam excommunicationis nullam non esse timẽdam, vel obseruandam, non procedit hęc conclusio in omni nullitate, sed solùm in ea, quæ est notoria, aliàs quòad Ecclesiam est timenda, & obseruanda, prout aduerterunt *Angel. in summa verbo Excommunicatio il* 4. *num.* 19. *Syluester eodem verbo il* 2. *num.* 1. *in fine, & seq. Franc. in cap.* 2 *num.* 9. *ad med. de sentent. excom. in* 6. *Menoch. de arbitr. cas.* 542. *num.* 29. *Guttier. can. quæst. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 37. & *seqq. Reuerendissimus D. Ricciullus de iure person. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 21. *Vasquez de excommun. dub.* 11. *num* 23. P. *Diana tom.* 5. *tract.* 9. *resol.* 29.

Altera conclusio Relatoris de iniustè excommunicato, quod postquam vsus est remedijs iuris, & non potest inuenire remedium, quia probatur nocens, communicare possit occultè, & publicè sine peccato, dummodo non sit scandalum ex *Sayro lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 22. & alijs ab eo citatis, malè applicatur hæc doctrina, quia requiritur, vt iniustitia sit notoria, aliàs non euitatur scandalum, vel præsumptio, quod sit rectè excommunicatus, prout requirunt prædictæ Auctoritates, & ita in terminis se declarat *Sayr. d. cap.* 17. *num.* 23. & 24. vbi reddit rationem, quia aliàs admodum perniciosum esset, quod quiuis excommunicatus se liberum ab excommunicatione existimet ea occasione, quod falsa causa deceptum Iudicem in eum excommunicationem pronunciasse causetur, & concordat *Reginald. in summa lib.* 9. *num.* 106. *vers. aduerte autem*, & ita etiam ante illos docuit *Syluester verb. Excommunicatio il* 2. *num.* 1. *ante fin. & seq.* vbi in specie declarat etiam aliam conclusionem ex aduer- 41

so

Digitized by Google

ſo adductam de publicanda iniuſtitia, vt ſine ſcandalo poſtea poſſit communicare, quoniam ait Syluester intelligendam eſſe, quando iniuſtitia eſſet notoria.

42 Adducit etiam Auctoritates dicentes, quod quando aliquis in conſcientia cognoſcit non peccaſſe mortaliter, poteſt formare conſcientiam ſuam, ſe nō incurriſſe excommunicationem, ſed abutitur dictis Auctoritatibus, nam præter quod loquuntur expreſsè in ſolo foro interiori, vt ex earum lectura patet, adhuc tamen non applicantur, nam S. Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 73. loquitur in ſententia iuris, non autem in ſententia hominis lata in particulari. Sic etiam *Sayr. lib. 1. cap. 9. num 4.* loquitur de generali lata à lege, vel ab homine generaliter quid præcipiente, ſed non loquitur, quando à Iudice particulariter quis declaratur excommunicatus, tunc enim nimis abſurdum eſſet aſſerere quemuis excōmunicatum ſe liberum allegando à mortali non eſſe ligatum excommunicatione per Iudicem contra eum lata, vt benè conſiderat idem *Sayr. lib. 1. cap. 17. ſub num. 23.* & ideo prædictam concluſionem procedere in excommunicatione impoſita à iure, vel in generali lata ab homine declarant *Nauar. in manuali cap. 27. num. 9. in fin. & Reginald. in ſumma lib. 9. num. 170.*

In ſententia autem particulari non
43 ſolum non eſt ſtandum priuatæ conſciētiæ Rei condemnati, ſed nec etiam Conſilio Aduocatorum ſuorum, cum ipſe teneatur magis deferre Iudici, vt benè in terminis declarant *Sot. diſtinct. 22. q. 1. art. 3. verſ. ſecundo modo. Sayr. lib. 1. cap. 17. nu. 14. & 15. Henriquez in ſumma lib. 13. cap. 15. §. 3. in fine*, Concordant *Suarez diſput. 4. ſect. 6. num. 6. Mirand. in manuali Prælat. par. 2 q. 35. art 14. ad fin. P. Diana d. tom. 5. tract. 9. reſol. 29.*

Ratio diſcriminis eſt euidens, quia
44 quando fertur ſententia generaliter contra omnes tale quid facientes, vel detinentes &c. tunc notitia peccati debet eſſe non in Iudice, ſed in ipſo Delinquente, an id fecerit, vel non, ſed quando fertur ſententia particularis contra talem, tunc notitia peccati eſt apud Iudicem, & Magiſtratum Eccleſiæ, ideo non attenditur ſcientia priuata ipſius Rei, vt benè in alia tamen quæſtione diſtinguendo explicat *Suarez de cenſuris diſput. 4. ſect. 5. num. 4.*

Addit Relator & alteram concluſio- 45
nem, dum pro declaratione ſententiæ S. Gregorij, vt ſententia ſiuè iuſta, ſiue iniuſta ſit timenda *c. 1. cauſ. 11. quæſt. 3.* adducit dictum *S. Bonauenturæ, & S. Auguſtini in can. 85. illud planè eadem cauſ. 11. quæſt. 3.* qui dicunt, peccare iniuſtè excommunicantem, ſed non dicunt iniuſtam excommunicationem non eſſe timendam, vt perperam ſupponit Relator, quoniam ante abſolutionem eſſe timendam declarat *Turrecremat. in eodem can. illud planè num. 7. ad med verſ. antè abſolutionem fol. mihi 435.* Quæ tamen exabbundanti dicta ſint potius pro explicatione concluſionum prædictarum, quam quod ſint neceſſariæ in hac cauſa, cum ſententia, de qua agitur, ſit iuſtiſſima, & validiſſima, vt ſupra oſtenſum eſt.

Ex iam dictis corruunt etiã omnia ex 46
aduerſo repetita pro euitando interdicto, & effugienda pœna rebellionis, eadem enim argumenta adducuntur, quæ pænitus ſupra diluta fuerunt. Solùm quoad Rebellionem exaduerſo additur excuſari ex cauſa apparenti, quæ tollit dolum; ſed pro reſponſione ſufficit remittere ad *Bellon. iun. conſ. 5. num. 173. & ſeqq.* Scribentem in alia cauſa pro Duce Raynutio Farneſio, vbi duas dat reſponſiones; Prima ſi cauſa ſit inueriſimilis, aut commentitia. Secunda ſi Reus poſtquam ſcire cæpit, aut debuit, cauſam eſſe iniuſtam, non

paruit.

Digitized by Google

paruit. Quæ applicantur casui nostro euidentissimè ex supra deductis.

47 Conqueritur etiam Relator, priuatos fuisse filios, & descendentes Ducis, sed hoc prouenit ex Bulla Sixti V. in ordine 75. §. 3. ad med. quæ explicitè hoc statuit, & est iuri communi conformis ex latissimè congestis per *Menoch. cons. 99. num. 122. ad med. & seqq.*

48 Post hæc Relator iterum omnia repetit contra sententiam, vndè alia responsione non egent, solùm addit, eam præcipitanter latam fuisse per modernum Cameræ Auditorem, cum à die sibi concessæ opportunæ facultatis in hac causa non intercesserit nisi spacium 20. dierũ, sed facilè tollitur, nam intra tot dies potuisset quælibet causa expediri, vt in terminis sententiæ latæ intra 20. dies dixit R*ota in Compostellana Parrocchialis* 10. *Ianuarij* 1628. *coram Merlino*, confirmando aliam in eadem causa *sub die prima Martij* 1627. *coram* Patriarcha *Manzanedo*, Maximè quando Processus erat iam instructus, prout in casu nostro, quia pependit causa per plures menses corã Antecessore, tunc enim potest Successor breuissimo tempore expedire, vt tradunt P*ut. decis.* 4. *de Iudic. Marescot. var. resol. lib.* 2. *cap.* 115. *num.* 1. *Gregor. decis.* 176. *num.* 6.

Ex quibus omnibus patet, indubitatam esse validitatem, & iustitiam processus, & sententiæ D. Auditoris Cameræ.

Digitized by Google